DE
IOANNIS LAURENTII LYDI
LIBRIS *ΠΕΡΙ ΜΗΝΩΝ*
OBSERVATIONUM CAPITA DUO

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS BLUHME
STENDALIENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVI

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GUILELMUS DITTENBERGER.

Examen rigorosum habitum est die VI. mens. Nov. a. 1906.

GUILELMO DITTENBERGER
GEORGIO WISSOWA
SACRUM

Praefatio.

Ex omnibus Ioannis Laurentii Lydi[1]) Philadelpheni operibus, quae ab eo composita esse e certo Photii patriarchae testimonio[2]) scimus, maxime mutilati ad nostram aetatem pervenerunt libri *περὶ μηνῶν* inscripti; quorum pauca tantummodo tenuiaque fragmenta cum exeunte saeculo duodevicesimo[3]) ex diuturna oblivione in lucem revocata essent, fieri non potuit, quin certatim viri docti hunc novissimum litterarum campum ingressi per totum superioris saeculi spatium Lydianis excerptis, quae longe lateque per omnes fere codices atque bibliothecas dispersa esse suspicabantur, conligendis explanandisque atque inter se componendis multum operae navarent huiusque scripti schedas Lydianas in singulares editiones redigerent.[4]) Horum autem editorum recentissimus Ricardus Wuensch postquam per Italiam, Francogalliam, Hispaniam profectus Lydi fragmenta ad hosce libros pertinentia in bibliothecarum scriniis quaesivit ac non pauca, quae adhuc virorum doctorum studia effugerant, in lucem protulit denuoque

---

[1]) de vita fuse exponit Lydus ipse in libris „de magistratibus" III, 26—30 (p. 113,6—119,11 ed. Wuensch); inspicias etiam Hasii elegantissimum de Ioanne Lydo commentarium p. VII sq. et Krollii explicationes in: Berliner philolog. Wochenschrift XXIV (1904) No. 28 p. 871 sq.

[2]) hoc est Photii testimonium in bibl. cod. 180: *ἀνεγνώσθησαν Ἰωάννου Λαυρεντίου Φιλαδελφέως τοῦ Λυδοῦ πραγματεῖαι τρεῖς· περὶ Διοσημείων, περὶ Μηνῶν, περὶ Ἀρχῶν πολιτικῶν.*

[3]) anno 1794 Nicolaus Schowius primus huius Lydiani scripti schedas in publicum emisit.

[4]) quas omnes enumeratas invenies apud Wuenschium in praef. ed. p. LXX sq.

conlecta compositaque fragmenta inlustri volumine comprehensa Lipsiae anno 1898 edidit, satis firmum fundamentum fecit, de his Lydianis libris restituendis optime meritus, id quod iustis laudibus concinentes extulerunt omnes fere litterati iudices.[1])

Haec autem Lydiana fragmenta cum abhinc non multo plus centum annos foras emissa iacerent, fieri non potuit, quin diversa atque prouti virorum doctorum alius aliarum rerum maiorem minoremve respectum esse habendum putaret aut austeriora aut benigniora de his libris quanti essent pretii iudicia excitarent. Qui quod omnes fere critici et antiquiores et recentiores a Photio[2]) inde usque ad Wuenschium[3]) unanimi paene consensu illam absurdarum fabularum stultorumque placitorum farraginem, qualis a Laurentio persaepe profertur, neglegendam ac vilissimi pretii esse pronuntiarunt, non mirum est. Attamen „operae est pretium", uti Wuenschii verbis[4]) utar, „multifariam illam doctrinam, qua Byzantii quondam excellebant viri, qui docti habebantur, plenius cognoscere et, qua in re summa eius, quae Laurentio attribui solet, laudis posita est, ipsum secutos ad fontes adscendere, e quibus scientiam suam hauserit. cum vero illorum fontium condicio ea sit, ut auctores adhibuerit Lydus ipso semper fere meliores, qui temporum iniquitate nobis servati non sunt — imprimis eos dico, qui scripserunt de Romanorum antiquitatibus —,

---

[1]) cf. Guil. Kroll, Berl. philolog. Wochenschrift XIX (1899) No. 20 p. 612 sq.; F. Hirsch, Wochenschrift für klass. Philologie XVI (1899) No. 37 p. 1009 sq.; Hg, Literar. Centralblatt (1899) No. 31 p. 1069 sq.; My, Revue critique d'histoire et de littérature XXXIV (1900) No. 6 p. 98 sq.

[2]) Photius l. c. hoc iudicium fert: *ἡ περὶ μηνῶν πραγματεία, εἰ καὶ πολὺ τὸ ἄχρηστον ἔχει, ἀλλ' οὖν πρὸς τὴν τῆς ἀρχαιότητος μάθησιν ἐπίχαρί τε καὶ λίαν χρειῶδες.*

[3]) Wuenschius in praef. ed. p. V sic iudicat: „. . . . nugarum mysticarum multitudo . . . . digna vix videatur esse, quae posteris tradatur."

[4]) Wuensch l. c.

ob hoc ipsum veterum auctorum studium minime neglegendum esse librum illum *de mensibus patet.*" [1])

Quae cum suo iure Wuenschius posuerit et de his rebus apud Lydum observandis usque ad hoc tempus continenti disquisitione praeter Ioannem Fridericum Schultze quaestionum Lydianarum auctorem[2]) nemo fere quicquam scripserit, unde patefactum esse magnum fertilemque quaerendi campum adparet, hac de re examen instituere mihi non alienum videtur. Ille enim vir doctus, qui de Lydi scriptis maximeque eis, quibus titulus est *περὶ ἀρχῶν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας*,[3]) quaestiones instituit, etsi non id agebat, ut Lydi fontes, e quibus in *περὶ μηνῶν* hausisset, detegeret vel nominaret, tamen adcurata disquisitione iam satis multas quae sese offerunt difficultates sustulit neque illius sententia umquam neglegi potest. Nec minus grave ad absolvendam hanc disputationem subsidium Wuenschius ipse nobis eo praebet, quod ut quam plurimos similes locos adnotans nobis fontes Lydianos indagaturis persaepe viam quaerendi egregie monstret, in Lydi libris inlustrandis laudabilem conlocavit operam. Omnia alia autem quae quasi in transcursu nonnumquam viri docti de Lydo observaverunt, suis locis afferemus et recensebimus.

---

[1]) hoc Wuenschii iudicium non modo in eum valet quem nunc ipsum in manibus habemus auctorem, sed etiam in permultos alios compilatores; nam ex eis ipsis scriptis, quae *permultas reliquias optimorum optimi temporis scriptorum* (cf. H. Linke, Quaestiones de Macrobii Saturnaliorum fontibus, diss. Vratisl. 1880 p. 3) continuisse inter omnes constat, intellegitur, quantum veteris doctrinae temporibus scriptoris apud omnes fere eruditos homines pervagatum fuerit; cf. etiam quod de hac re scripsit Mercklinus „Die isagog. Schriften der Römer" in Philologi vol. IV p. 435 sq.

[2]) I. F. Schultze, Quaestionum Lydianarum particula prior, diss. Gryphisw. 1862.

[3]) vide ipsius Schultzii verba l. c. p. 2: „opus quod potissimum nobis examinandum sumsimus."

Caput I.

De Ioannis Laurentii Lydi in adhibendis auctoribus usu ac ratione.

Quicumque in alicuius scriptoris maximeque eorum qui vocantur compilatores fontibus investigandis versaturus est, eum ab eius rationis examine, qua usus ille scriptor libros suos composuerit, quaestionis initium sumere necesse est; nam in hac ipsa re quia non omnes auctores inter se consentire, sed plerumque alterum ab alterius usu atque compilandi consuetudine discedere consentaneum est, hac disquisitione absoluta quaerendi via praemunita videtur. Atque in hac quidem quaestione expedienda ut toti disputationi esse possit fundamento, nos iis librorum Lydianorum partibus, quarum auctores superstites habemus, inniti per se manifestum est. Dolendum autem est, quod non multa eiusmodi exempla hac in permala scripti condicione nobis suppeditant.

Nihilo minus cum ad explicandam hanc rem propositam accedamus, hanc ratiocinationis viam ingrediendam nobis esse puto, ut quemadmodum Lydus totam materiam ex auctoribus subreptam disposuerit, primum quaeramus, deinde autem inquiramus, quas secutus rationes Lydus hosce libros conscripserit, denique, quales cuiusque generis fontes ille plerumque adhibuerit.

§ 1.

De Lydiani operis indole.

Lydi libros quattuor *περὶ μηνῶν* inscriptos si quis oculis percurret, in singulis fere paginis, quamvis tenuissima tantummodo persaepe frustula nobis tradita sint,

satis magnam immensamque rerum variarum disparliumque conlectionem continuisse iam primo obtutu cognoscet. Quae cum ita sint, huius scripti lector perfacile ad eam sententiam progredietur, ut Ioannem universam materiam ab ipso comportatam in malum ordinem redegisse censeat. Tamen Lydum non temere hos libros composuisse mihi persuasi, qua in re comprobanda quaestio ab ea re quam sibi proprie sumpserat ordienda est.

Iam vero quidnam potissimum in libris *περὶ μηνῶν* tractare in animo habuerit, secundi libri initio his verbis usus (p. 18,3 sq.) ipse indicat:

ἀναγκαῖόν μοι δοκεῖ, inquit, *περὶ τῶν μηνῶν εἰπεῖν, ὅθεν καὶ ὅπως τὴν προσηγορίαν αὐτῶν ἕκαστος εἴληφε, καὶ ἅπερ καθ᾽ ἕκαστον αὐτῶν τοῖς Ῥωμαίοις πάλαι παρατετήρηται, ὅσα γε ἡμεῖς ἐκ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν παρειλήφαμεν· πρὸς τούτοις καὶ περὶ διαφορᾶς ἔτι πρότερον ἐνιαυτῶν, αἰώνων τε καὶ χρόνων καὶ ἀρχῆς ἡμερῶν. γένοιτο ἂν καὶ τοῦτο ὥσπερ ἥδυσμά τι ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς.*[1])

Ex his verbis dilucide sequitur, ut Lydus totam *de temporibus* explanationem in medio ponere voluerit. Itaque iam nascitur quaestio, qua ratione usus ille hoc propositum absolverit. Quod ut plenius cognoscamus, singulorum librorum indolem indagemus necesse est.

1.

Sed in hac investigatione qua de causa liber quem primum numerare solemus a nobis neglegatur, fortasse quispiam quaesiverit; cui hoc respondendum erit: Postquam Wuenschius[2]) filo contextus reperto hunc librum restituere conatus est, Lydum in eo exceptis tribus brevissimis locis [I,14 (p. 8,14—16); I,16; I,17 (p. 9,16; p. 10,10—15)] non de anni historia egisse, sed a Lydis eorumque mysteriis profectum

---

[1]) hoc libri alterius prooemium, quod ab anonymo codicis H auctore servatum est, Wuenschius l. c. p. XXXVII sq. iustis argumentis Laurentio adiudicavit.

[2]) l. c. p. LXXVIII sq.

nihil aliud nisi disputationes de primorum advenarum fabulis veluti de Euandro, Ulixe, Diomede, Ausone, Circa, Aenea atque de eis rebus quas illi in Italiam transtulerant, de magistratuum militumque insignibus et Romanorum institutionibus ita protulisse adparet, ut hic liber esse totius operis prooemium quoddam videatur; et haec coniectura eo confirmatur, quod eius titulus ab omnibus Lydianis epitomatoribus plane omittitur. Itaque in libris II, III, IV totam fere de temporibus explanationem Ioannem perfecisse ipsi horum librorum tituli testantur, quos servatos esse videmus in recensione quae vocatur Barberina qua, ut ipsa Wuenschii[1]) verba afferam, „alterum librum fuisse *περὶ ἡμέρας*, tertium *περὶ μηνός*, quartum *de singulis mensibus* conscriptum" docemur. Praeterea autem hos tres libros, quos omnia Lydiana verba supra exscripta respiciunt, arto inter se coniunctos esse vinculo elucet non modo ex ipsa argumenti affinitate quam Lydus ipse saepius significat, sed etiam ex tota disputandi ratione atque disquisitionis indole, quam detegere nunc nostrum est.

Hac in re exploranda nobis librorum singula argumenta breviter afferenda sunt, id quod Wuenschius[2]) acturus de Lydiano qualis olim fuerit libro non neglexit, et a libro secundo initium sumendum est.

Totius operis materia in § 1 indicata Lydus in § 2 (p. 18,11) ad definiendum diem naturalem et in sequentibus versibus ad diem civilem explicandum apud Babylonios, Aegyptios Hebraeosque, Umbros, Athenienses, Romanos accedit. Atque postquam paragraphi 4 initio Chaldaeos et Aegyptios secundum hebdomades dies distinxisse exposuit a planetarum numero, quarum motu omnes tonos effici in II,3 docet, Lydus ad singulorum dierum significationes progressus in II,4 a primo cuiusque hebdomadis die incipit fuse expediens primum, unde hic dies nomen

---

1) l. c. p. LXXVIII.
2) l. c. p. LXXXII sq.

acceperit (p. 21,3); deinde quae sit monadis potestas (p. 21,6); tum disputans de monadis relatione ad solem (p. 21,18), cuius diversa nomina in II,5 affert; denique in II,6 de monadis natura et consecratione, testibus adhibitis: Pythagora (p. 22,5), Orpheo (p. 22,21), Proclo (p. 23,11), Zoroastro (p. 23,17). Qua re expedita in II,7 Laurentius ad diem secundum explanandum transit locutus primum de huius diei consecratione (p. 23,19); deinde de Lunae natura (p. 23,20); tum de Dianae potestate, quippe cui haec planeta dedicetur (p. 23,21); denique de dyadis natura atque vi (p. 24,7), quas explicationes exemplis undique corrasis confirmat, testes advocans: antiquos (p. 24,11), Pherecydis discipulos (p. 24,13), Numam (p. 24,22), Plutarchum (p. 25,1). De omnibus ceteris hebdomadis diebus Lydus simillima disputandi ratione usus disserit: in II,8 de tertio die, in II,9 de quarto, in II,10 de quinto, in II,11 de sexto, in II,12 de septimo, semper fere agens de planetae natura, de potestate dei, cui haec planeta consecratur, de natura atque vi numeri, ad quem singuli dies pertinent, adhibens testes:

Pythagoram sive eius discipulos II,4 (p. 21,5); II,6 (p. 22,5); II,8 (p. 27,7); II,8 (p. 28,8); II,9 (p. 29,3); II,9 (p. 29,4); II,10 (p. 31,14); II,12 (p. 33,8)
Orpheum II,6 (p. 22,21); II,8 (p. 26,2); II,11 (p. 32,21); II,12 (p. 33,10)
Proclum II,6 (p. 23,11); II,8 (p. 27,19)
Pherecydem II,7 (p. 24,13)
Socratem in Phaedro II,8 (p. 27,12); in re publica II,8 (p. 27,13)
Aristotelem II,8 (p. 26,6); II,10 (p. 31,2)
Theophrastum II,8 (p. 26,9)
Timaeum II,8 (p. 27,18); II,12 (p. 35,17)
oracula Chaldaica II,8 (p. 26,16); II,8 (p. 28,4); II,8 (p. 28,7); II,10 (p. 31,19); II,11 (p. 32,4).
philosophos II,9 (p. 28,22); II,10 (p. 31,10)
Philolaum II,12 (p. 33,14); II,12 (p. 34,1)

Quarum paragraphorum disputationes, utpote quae

omnes unam eandemque disquisitionis indolem monstrent, iterum atque iterum proferre mihi esse longum et supervacaneum videtur.

Quibus disputatis Lydum tota *de diebus* explanatione, quam in libro secundo absolvit, hanc dispositionem persecutum esse mihi satis constat:

I. de die naturali [II,2 (p. 18,11)]
II. de die civili [II,2 (p. 18,12)]
  a) exterarum nationum
    α) Babyloniorum (p. 18,12)
    β) Aegyptiorum Hebraeorumque (p. 19,3)
    γ) Umbrorum (p. 19,16)
    δ) Atheniensium (p. 20,4)
  b) Romanorum
    α) primo (p. 20,5)
    β) postea (p. 20,9)
III. de singulis hebdomadis diebus:

A. de primo die [II,4—6)	1. de natura planetae,
B. de secundo die [II,7]	2. de potestate dei,
C. de tertio die [II,8]	3. de natura atque vi
D. de quarto die [II,9]	numeri,
E. de quinto die [II,10]	4. de exemplis ad nu-
F. de sexto die [II,11]	merorum singulorum
G. de septimo die [II,12]	vim pertinentibus.

Iam transeamus ad explanandam libri tertii indolem, qui *περὶ μηνός* inscribitur. Hanc autem inscriptionem argumentis in hoc libro prolatis non plane accommodatam esse videbimus ob eamque causam hanc *de anno et mensibus in universum* fuisse Roetherus putavit.[1])

Lydus enim postquam profectus ab Arcadibus Sicyoniisque, quippe qui primorum hominum aequales sint, quorum historiam huius paragraphi primae initio pertractat, eos

---

1) sic inscripsit Roetherus in sua editione excerptorum Lydianorum anni 1827 librum tertium.

iam fuisse ante mensium computum disputavit, in § 2 se confert ad definiendum mensem naturalem, cuius, ut Ioannes testatur, duae sunt species, quod et secundum solem (p. 38,$_4$) et secundum lunam (p. 38,$_8$) naturales fiunt menses. Deinde autem ne de anno agendi occasionem omittat, Laurentius ad tenuem de natura rerum in § 3 et de decadis natura in § 4 disputationem digressus in media paragrapho 4 nos rapit in anni vertentis naturalis definitionem, quae cum explicatione in § 5 extrema (p. 40,$_{15}$) coniungenda est. Atque statim compilator in § 5 ad explanandum annum vertentem, quem diversae civitates sibi quaeque statuebant, veluti Aegyptii, Arcades, Sicyonii, Latini, Romani i. e. ad explanandum annum vertentem civilem se convertit. Inde autem breviter agens in § 5—7 de Numae et Caesaris anno et de potestate naturaque lunae in § 8 et in § 9 de feriis sementivis, qua in explicatione disquisitionem de natura septenarii et novenarii usus eadem disputandi ratione, quam in II,$_{4-12}$ de diversorum numerorum natura cognovimus, inserit, ad mensis civilis definitionem in § 10 transit, ubi de tribus cuiusque mensis feriis i. e. de Kalendis, Nonis, Idibus earumque nominibus derivandis agit; exponere autem in hac paragrapho non minus studet, quibus dis consecrentur feriae singulae, quam quot dies singuli menses amplectantur. Fuse declarat rationem singulos dies ex his tribus feriis computandi. Iam vero Lydus quoniam eas summatim tractavit, in singulis ad eas describendas aggreditur, velut in § 11 de Kalendis, quarum ad descriptiones, postquam in § 11 multa mirabilia de animalibus lapidibusque novam lunam adorantibus narravit et in § 12 de lunae natura disseruit, in § 13 revertitur breviterque ibidem de Nonis et Idibus locutus ad triginta dies se convertit, quos mensis continet. Statim autem hanc explicationem in § 14 disputatio de tricenarii numeri natura subsequitur. Sed in sequentibus paragraphis id, quod adhuc neglexit, Lydus affert et transit in § 15 ad distributionem temporum in:

aevum, tempus, tempestatem, annum, statim disputans de aevo (p. 55,17), de tempore (p. 55,19), de tempestate (p. 55,22). Deinde autem in § 16 de stellarum errantium circuitu, quo annus magnus efficitur, locutus in § 17 ad annum vertentem civilem recedit, cuius initium ille describit. In § 18 et 19 Lydus, postquam de caelestium rerum motu explicavit, in § 20 ad annum reversus de anno Lydorum, pauca de Panis dei natura in § 21 adiciens, in § 22 de singulorum mensium nominibus apud Athenienses, Graecos, Hebraeos, Aegyptios, Romanos loquitur. Ad has autem explicationes addit disquisitionem de anni initio apud Babylonios, Aegyptios, Graecos, Romanos atque hunc librum concludit in § 23 describens indictionem a Graecis ἐπινέμησιν vocatam.

Quae libri tertii argumenta quamvis inter se satis disparilia atque incondita Lydus comportasse videatur, tamen certam rationem secutus disposuit. Semper enim ad materiam a qua deflexit disputatio reducimur; e. g. de anno vertente civili in § 5 et 17, de mense civili in § 10 et 22 agitur. Hoc autem modo Lydus a *definiendo mense naturali* profectus, etiamsi narrationis continuitatem moleste interrupit (cf. § 18. 19), postquam in medio hoc libro *de anno vertente et naturali et civili* egit, in extrema eius parte non inscite ad *mensium* descriptionem ita redit, ut huius libri cum quarto coniunctionem non neglegat.

Liber tertius igitur hanc totius *de mensibus et anno* explanationis dispositionem praebet:

AI. de mense naturali [III,2]
 a) de mense solari (p. 38,4)
 b) de mense lunari (p. 38,8)

BI. de anno vertente naturali [III,4 (p. 39,1) + III,5 (p. 40,15)]

BII. de anno vertente civili [III,5]
 a) exterarum nationum
  α) Aegyptiorum (p. 39,16)
  β) Arcadum (p. 40,2)

4. de anni civilis initio [III,22]
   a) apud exteras nationes
      α) apud Babylonios Aegyptiosque (p. 60,12)
      β) apud Graecos (p. 60,15)
   b) apud Romanos
      α_1) de initio sacerdotali (p. 61,1)
      β_1) de initio civili (p. 61,5)
      γ_1) de initio patrio (p. 61,17)

Qua quaestione expedita iam restat, ut de libri quarti indole disputemus, quem a Lydo e mensium numero in duodecim partes divisum esse per se manifestum est.

Itaque nobis quaerendum est, quanam usus ratione disputandi Ioannes singulorum mensium explanationem composuerit. Qua in re Lydus ipse certam nobis praebet ansam, cum in II,1 (p. 18,3) haece docet: *περὶ τῶν μηνῶν εἰπεῖν, ὅθεν καὶ ὅπως τὴν προσηγορίαν αὐτῶν ἕκαστος εἴληφε, καὶ ἅπερ καθ᾽ἕκαστον αὐτῶν τοῖς Ῥωμαίοις πάλαι παρατετήρηται.* Haec vero verba quin solum librum quartum respiciant, his omnibus supra disputatis iam nemini dubium esse censeo. Sed cum examinamus, num Laurentius in tractandis mensibus hanc rationem servaverit, non omnes res quas ille in medio ponit singulas expedire possumus; nam in hoc ipso libro Lydus omnia quaecumque et ubicumque contextui inserere poterat, in unum corpus consarcinare studuit.

Primae paragraphi initio Lydus postquam anni initium Ianuarium mensem Romanis a Numa constitutum esse exposuit, transitu ridicule abrupto usus de Iano deo disserit, quis sit quaeque de eo fuerit veteribus opinio, expediens primum diversa eius nomina (p. 63,8), deinde de statuis (p. 63,16), tum de natura (p. 64,6), denique de signis fabulisque (p. 66,4) locutus. Iam vero Ioannes in sequentibus paragraphis, quid a Romanis singulis huiusce mensis diebus observatum sit, explorare incipit idque ex ordine dierum, veluti in IV,3 de primis Kalendarum feriis, quibus consul

pompam ducens in Capitolium ascendit, et in § 4 de eis quae hoc die dabantur donis; inter haec quod erant folia laurea, Lydus de eis fuse agit. Laurentius autem postquam quemadmodum magistratus Romae exciperentur, in § 5 disputavit et in § 6 de angue locutus est, in § 7 hoc die Traianum Fortunae templum sacrasse narrat, quae explicatio ad magnum de Fortuna tractatum excurrit. In § 8 de primo Kalendarum die, in § 9 de postero die i. e., qui est a. 4 Nonas Ianuarias, in § 10 de die, qui est a. 3 Non. Ian., quas ferias his diebus egerint Romani, satis multa verba Lydus facit; in § 11—14 multa mirabilia de palma, de magnete lapide, de arbore piperis proferens in § 15 de pontificum nomine derivando loquitur et in sequentibus de variis rebus, veluti in § 16 et 18 de ostentis, in § 17 de Dioscuris, in § 19 de Fabio senatore, in § 20 de Domitiano, in § 21 de Iunone, in § 22 de Minerva, in § 23 de Ulpio Traiano; in § 24 affert dei verbum aliquod de victimis.

Ex his argumentis breviter allatis quae Lydus ad Ianuarium mensem explanandum adhibet, Ioannem, etsi illa disputandi ratione in II,1 indicata adcurate usus est, tamen tam multas alias res inseruisse iam vides, ut, cum plurima doctrinae frustula ad nos non pervenerint, disputationis continuitatem restituere difficillimum sit. Itaque si his neglectis rebus ad ceteros menses expediendos accedamus, permultis verbis propterea nobis non opus est, quod in singulis mensibus tractandis eandem rationem Lydus tenuit; explicat enim primum mensis nomen, deinde unde illud acceperit inquirit [cf. IV,25 de mense Februario; IV,33 de Martio; IV,64 de Aprili; IV,76 de Maio; IV,88 de Iunio; IV,102 de Iulio; IV,111 de Augusto; IV,121 de Septembre; IV,135 de Octobre; IV,144 de Novembre; IV,153 de Decembre]. Porro autem Lydo fuisse consuetudinem videmus, ut si quis mensis a deo vel dea nominatus est, de eius numinis indole fusius agat [cf. IV,1+2 de Iano deo; IV,25 de Februa dea; IV,34 de Marte deo; IV,64 de Venere

dea; IV,76 de Maia dea]; si ab imperatore, de eius nomine [cf. IV,102 (p. 142,9) de Iulio] vel de rebus ab eo gestis [cf. IV,111 (p. 150,6) de Augusto]. Denique Lydus e dierum ordine ferias singulorum mensium enumerat atque, quid in eis observaverint Romani, describit [cf. IV,3; IV,4; IV,8-10; IV,25 (p. 84,5); IV,29; IV,42; IV,49; IV,55; IV,57; IV,59; IV,60; IV,65; IV,67; IV,72; IV,73; IV,80; IV,82; IV,89; IV,94; IV,138; IV,149-151; IV,155; IV,158]; plerumque autem addit sive dierum significationes astronomicas sive stellarum ortus atque occasus [cf. IV,8 (p. 73,20); IV,16; IV,17 (p. 79,2); IV,18; IV,44; IV,48; IV,50; IV,51 (p. 109,3); IV,54 (p. 111,16); IV,61; IV,123; IV,124 (p. 159,17); IV,126; IV,128; IV,135 (p. 162,7); IV,136 IV,139; IV,141; IV,143; IV,148 (p. 166,19); IV,149 (p. 168,9); IV,152 (p. 169,3); IV,154 (p. 172,16); IV,155 (p. 172,19); IV,156].

Quae cum ita sint, in *singulorum mensium* explanatione Lydus disputandi rationem ab ipso indicatam adiciens sive placita de dis deabusque (cf. infra II. A.) sive fabulas de imperatoribus (cf. infra II. B.) sic persecutus est:

I. de mensis nomine
II. A. si mensis a deo vel dea nominatus est, agit
  1. de numinis natura
  2. de numinis nominibus
  3. de numinis signis
II. B. si ab imperatore
  vel de eius nomine
  vel de rebus ab eo gestis
III. de feriis e dierum ordine
IV. de tempestatis signis.

Hanc igitur singulorum librorum dispositionem secutus Lydus universam *de mensibus* vel potius *de anni historia* materiam in suos libros congerendam sibi sumpserat, hoc propositum ita absolvens, ut de die, de hebdomade, de mense, de anno, de tempestate, de tempore, de aevo exponat, anxie fere secutus *aevi* definitionem, quod, ut ipse testatur in II,12 (p. 36,11), conficitur: πρῶτον ἐξ ἁρῶν,

εἶτα ἡμερῶν, εἶτα ἑβδομάδων, ἔπειτα μηνῶν, εἶτα ἐνιαυτῶν, ἐκεῖθεν καιρῶν, καὶ τὸ λοιπὸν αἰώνων, i. e. profectus a parva temporis parte [a die] progreditur ad maiorem [mensem] atque maximam [annum, tempus, aevum] et inde recedit ad minorem [mensem] atque minimam [singulos cuiusque mensis dies].

2.

Hanc vero dispositionis investigationem necessariam fuisse intelleges, si qua compilandi ratione Lydus in singulis libris usus sit, nunc nobiscum quaeres idque inprimis, quando ab alio ad alium fontem ille deflectere videatur. Iam in his rebus diiudicandis quae rationes a nobis observandae sint, nonnullis usi exemplis satis luculentis demonstremus.

In II,2 Lydus, ut supra diximus, de diversarum nationum die civili fuse locutus Aegyptios Hebraeosque (p. 19,3) diem a vespere incipientes ad sequentem vesperum adnumerasse noctemque cum die veniente coniunxisse et propterea noctem omnium rerum matrem a cosmographis nominatam esse explicat. Noctis autem nomen efficit, ut Latonam esse noctem et ab ea Dianam atque Apollinem genitos esse doceat, mythicorum auctoritate nisus. Iam vero dierum indices quos Lydus hoc loco praebet ad auctorem qui de fastis scripsit redire infra demonstrabimus. Hanc autem de Latona narrationem non ex libro ad fastos pertinente fluxisse veri admodum simile est, sed ex eo auctore, cui disquisitiones mythologicas, quas ille satis multas affert, acceptas refert[1]); id testatur non modo mythicorum auctoritas qua Lydus se tuetur, sed etiam quod nominis *Ἄρτεμις* idem veriloquium (*οἱονεὶ ἀερότεμιν* p. 19,13) defendit quod et Macrobius (Sat. I 15,20=VII 16,27).[2])

Quae cum ita sint, Lydum res e duobus fontibus

---

[1]) quo de loco cf. Fr. Börtzler, Porphyrius' Schrift von den Götterbildern, diss. Erlang. 1903 p. 63; videas etiam infra § 3,3.

[2]) de Macrobii disputationibus theologicis cf. G. Wissowa, De Macrobii Saturnaliorum fontibus capita tria, diss. Vratisl. 1880 p. 35 sq.

delibatas in unum concentum redegisse patet; id autem ille fecit, quod auctor, cui dierum indices debet, hoc ipso loco eum in hanc rem ferebat.

Cuius rei aliud excitabo exemplum. In anni vertentis naturalis definitione in III,4 (p. 39,1) Lydus ab explananda denarii numeri natura proficiscitur, circum quem sese torquentes et convertentes quasi circum flexum omnes currunt numeri (p. 38,19); semper autem is in se ipsum recurrit, quippe quem continere omnes numeros natura testetur (p. 38,23). Iam simili modo, quo numerus denarius, in se ipsum recurrit annus, unde nomen accipit (p. 39,1), idemque facit circulus, quem Lydus statim expedit (p. 39,2). Itaque etiam quod ea figura dicitur circularis, quae a se ipsa incipit et desinit in se ipsam, id quod proprium est temporis (p. 39,4), Aegyptii serpentem caudam mordentem pyramidibus insculpunt atque etiam nunc orbem templis inscribunt, quod annus sui ipsius et initium et finis est (p. 39,7); ob eamque causam temporis initium Pythagorei non primum, sed unum nominant (p. 39,14).

Haec igitur sunt huius paragraphi argumenta, quae e diversis fontibus arcessita non inscite Lydum in unum corpus consarcinasse apertum est. Quae unde arripuerit, nobis nunc quaerendum est. Id enim quod de anni definitione profert ex eo fonte fluxisse, e quo anni historiam decerpserit, per se est manifestum; huic opinoni favet, quod similia apud ceteros scriptores qui de anno egerunt enarrata legimus. Sic dicit:

Varro de L. L. VI 8: *tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus, quod ut parvi circuli anuli sic magni dicebantur circites ani, unde annus.*

Praeter Varronem autem alios quoque annum cum circulo comparasse hi loci dilucide demonstrant:

1. Isidorus de rer. nat. 6, quem locum ad Suetonianam doctrinam (cf. frg. 121 Reiff.) recte revocaverunt viri docti, docet haec: *annum . . . . . quasi anum dici quidam putant id est circulum, unde et anuli dicti sunt diminutive.*

2. Servius ad Aen. I 269: *annus . . . . . dictus quasi anus, id est anulus, quod in se redeat.*

3. Servius ad Aen. V 46: *quia menses in sese recurrunt et annum faciunt: unde et anulus quasi anuus dictus.*

4. Servius ad Aen. V 85, ubi idem fere quod Lydus de Aegyptiis ille narrat: *annus . . . . . secundum Aegyptios indicabatur ante inventas litteras picto dracone caudam suam mordente, quia in se recurrit* [praeterea cf. Isidor. orig. V 36,1 sq.].

Qui concentus id quod Lydus de anni definitione et de Aegyptiis docet, ex eo fonte cui anni historiam debet desumptum esse nobis persuadet.

Iam vero Lydus ut ab definiendo mense naturali [cf. III,2] ad annum vertentem naturalem explanandum [cf. III,4] scite transeat, narrationem *de decadis natura* praemittit, cuius argumenta cum eiusdem numeri tractatione in I,15 paene congruunt; id quod unum eundemque auctorem sapit. Hac autem in disputatione Ioannes utitur eadem disquisitionis indole qua in II,4—12, ubi de diversorum numerorum natura agit, atque eosdem testes laudat, quos ibidem testantes facit, veluti Parmenidem (p. 8,25), Philolaum (p. 9,5), Orpheum (p. 9,6). Quas paragraphos I,15; II,4—12; III,4 (p. 38,17—27) ad unum eundemque auctorem redire veri admodum simile est. Pythagoreorum doctrinam quae est in extrema huius paragraphi parte [III,4 (p. 39,14)], e II,4 (p. 21,4) desumptam Lydus hic denuo affert.

Lydus igitur in hac quoque paragrapho res e diversis auctoribus delibatas conglutinavit, quod alter auctor eum ad alterius argumenta deferebat. Huius autem rei permulta afferre possum exempla, quae singulae fere commentationis Lydianae paginae suppeditant.

Non raro autem hoc modo fit, ut rerum ac sententiarum concentus atque cursus moleste interrumpatur, si Lydus diversorum auctorum relationes contaminet. Atque id potissimum in singulorum mensium tractationem cadere negari nequit; nam quod Lydo eam fuisse conglutinandi

consuetudinem supra (p. 13) ostendimus, ut a mensis nomine derivando, si quis a deo vel dea nominatus est, statim ad enarrandam eius numinis naturam transeat, saepe transitio ridicule abrupta in sententiarum continuatione oritur (cf. quod de primae paragraphi libri quarti initio supra p. 12 scripsimus]. Hasce fabulas autem e fonte ad anni historiam pertinente Lydum hausisse nec necesse nec verisimile est, sed ab alio auctore pendere dilucide adparet e Lydi ipsius verbis in II,1 prolatis, ubi de totius temporum explanationis dispositione fuse agit.

Quae cum ita sint, rationem conglutinandi eam fuisse puto, *ut Lydus, prouti auctor, quem ipsum adhibet, in hanc vel illam rem eum ferebat, narrationes hoc ipso loco in explanationem reciperet, easdem aut adiungens aut praemittens*, ne nimis contextum divelleret. Huc si respicimus, non est magni acuminis adgnoscere, quando Lydus ab alio ad alium fontem devertat; nam plerumque, ut relationes e compluribus fontibus desumptas in unum corpus confundat, adhibet verba veluti: *ὅθεν καί* [cf. II,2 (p. 19,12)]; *καὶ ταύτῃ* [cf. III,4 (p. 38,27)]; *διὰ τοῦτο* [III,4 (p. 39,14)] multaque alia. Nonnumquam autem ab alio ad alium auctorem se transisse Lydus ipse indicat; sic in I,8 Euandrum primum litteras in Italiam attulisse docet. Inde vero per digressionem se convertit in I,9 ad Phoenices, quippe quos litteras excogitasse atque argentarios feneratores fuisse explicet; id quod cum explanatione de Euandro non cohaerere ob eamque causam ex alio fonte desumptum esse apertum est. Lydus autem ut ad rem propositam i. e. ad enarrandas fabulas de primis advenis redeat, his verbis in I,9 (p. 2,20) utitur: *ἀλλ᾽ ἐπανίωμεν ὅθεν ἐξεκλίνομεν.* In his paragraphis I,8; I,10 frustula Varronianae doctrinae per epitomatorem nescio quem Lydo tradita exstare R. Ritter egregie monstravit.[1]) Etiam alia verba hanc transitionem indicant;

[1]) R. Ritter, de Varrone Vergilii in narrandis urbium populorumque Italiae originibus auctore, dissert. philolog. Hal. vol. XIV p. 368 sq.

cf. IV,67, ubi de Hercule eiusque fabulis loquitur, quam narrationem Lydus ex eo auctore desumpsit, cui disquisitiones mythologicas debet, atque ad Herculum indicem explanandum transiens haec verba (p. 121,24) exhibet: *οὕτως μὲν οἱ φιλόσοφοι. ἀπὸ δὲ τῶν ἱστοριῶν εὑρίσκομεν ἑπτὰ Ἡρακλεῖς*; quem indicem ex Didymi libro *Ξένη ἱστορία* fluxisse Bobethius[1]) nuperrime probavit. Similia autem verba Lydus adhibet in III,11 (p. 50,6); IV,51 p. (109,2); IV,64 (p. 118,4); IV,149 (p. 168,2); IV,159 (p. 176,7).

Quibus rebus expeditis iam adparebit eis, qui Lydianos fontes in *περὶ μηνῶν* adhibitos indagaturi sint, totum fere opus quasi dissuendum et in singulas multasque partes, quin etiam particulas dividendum esse, quae ad diversos auctores videantur esse referendae. Lydum autem plerosque quos adhibuit fontes non singulis modo locis, sed saepius compilasse per se manifestum est.

Quae cum ita sint, sane facile fieri potuit, ut compilator multis in locis bis vel ter easdem res eisdem fere verbis referret; huiusce autem rei satis multa luculentaque reperiuntur testimonia, quorum inlustrissimum est in III,22 (p. 61,19—62,3), quod conferri licet cum IV,42 (p. 99,2—9), porroque in IV,7 (p. 71,23—25; p. 72,3—4; p. 72,9—13; p. 73,10—13) comparando cum IV,100 (p. 140,7—23).

Praeterea autem haec conferri iubeo:

I,12 (p. 5,1—3) cum II,12 (p. 36,7—9) de Euripo;

I,12 (p. 6,21—22) cum I,14 (p. 8,5—6) + IV,73 (p. 124,21) de Romae urbis conditae temporis;

I,14 (p. 8,14) cum I,16 (p. 9,10) + I,17 (p. 10,12) de Romuleo anno;

I,21 (p. 11,15) cum IV,64 (p. 118,16) de Veneris nominibus;

II,4 (p. 21,19—20) cum II,12 (p. 33,12—13) de Apollinis relatione ad solem;

II,12 (p. 33,9) cum III,10 (p. 46,2) de septenarii numeri relatione;

---

1) Bobeth, de indicibus deorum, diss. Lips. 1904 p. 53 sq.

II,12 (p. 33,14—15) cum III,9 (p. 43,2—3) de septenarii numeri natura;
II,4—12 cum IV,10 (p. 75,3—7) de singulorum cuiusque hebdomadis dierum consecratione;
II,4 (p. 21,3—5) cum III,4 (p. 39,14) de Pythagoreorum doctrina;
III,1 (p. 37,21) cum IV,117 (p. 155,22) de Panis nomine;
III,10 (p. 47,6—12) cum III,11 (p. 49,25—50,4) de feriarum cuiusque mensis consecratione;
III,15 (p. 55,20—22) cum IV,154 (p. 171,1—3) de Saturno deo;
III,16 (p. 57,12) cum IV,40 (p. 98,3) de Stoicis;
IV,30 (p. 90,12) cum IV,45 (p. 101,10) de Iside;
IV,32 (p. 91,5) cum IV,149 (p. 167,19) de animae lustratione;
IV,71 (p. 123,7) cum IV,154 (p. 170,7) de Saturno deo;
IV,152 (p. 169,11) cum permultis locis, veluti I,17 (p. 10,10).

Quod duplici ratione expediri potest, ut Lydus aut eosdem eiusdem auctoris locos compluriens inscius excerpserit aut se ipsum expilaverit. Qua in re diiudicanda valde mirum nobis est, quod saepius citata legimus in his locis haec verba: *ὡς ἐλέγομεν ἔμπροσθεν* p. 9,10 sive *προειρήκαμεν* p. 33,12 sive *ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται* p. 46,2 vel *ἀφηγησάμην* p. 170,8. Deinde verba utriusque loci mutata vel enuntiatum in aliam structuram redactum esse saepe videmus [cf. I,14 (p. 8,15) cum I,16 (p. 9,10); II,4 (p. 21,3—5) cum III,4 (p. 39,14); III,15 (p. 55,20) cum IV,154 (p. 171,1); III,16 (p. 57,12) cum IV,40 (p. 98,3)] vel auctoris nomen altero loco omissum est [cf. I,21 (p. 11,16) cum IV,64 (p. 118,16); II,12 (p. 33,14) cum III,9 (p. 43,2); IV,71 (p. 123,7) cum IV,154 (p. 170,7)]; denique priorem locum uberiorem altero esse reperimus in IV,7 cum IV,100 comparato; praeterea in III,10 (p. 47,6—12) cum III,11 (p. 49,25—50,4) et in II,6 (p. 23,14) + II,7 (p. 23,19) + II,8 (p. 25,4) + II,9 (p. 28,2) + II,10 (p. 30,18) + II,11 (p. 32,1) + II,12 (p. 33,5) cum IV,10 (p. 75,3—7). Id vero magni esse momenti puto; si enim cuius rei prior mentio amplior est quam altera, mihi quidem satis esse consentaneum videtur hunc scriptorem ex sui ipsius operis locis in alios aliquid transtulisse.

Quibus omnibus causis satis mihi probari videtur nostrum auctorem, quantumvis in aliis rebus industria diligentiaque egeret,[1]) tamen in his optime tenuisse memoria, quales res iam tetigisset suosque in libros recepisset, atque ob id ipsum modo addidisse eiusmodi verba, veluti *προειρήκαμεν* et al., modo adhibuisse alia dicendi artificia.

Neque aliter censeo esse iudicandum de eis locis quos ipse e libris *περὶ μηνῶν* haustos in reliqua duo opera transtulit; sic enim Lydus in his libris saepius relegat lectorem ad *περὶ μηνῶν* et citat:

de mag. (ed. Wuensch) II,19 (p. 75,12): *τὸ περὶ μηνῶν*;
de mag. II,19 (p. 75,6); III,61 (p. 151,15): *τὰ περὶ μηνῶν*;
de mag. I,8 (p. 14,18); II,12 (p. 68,1); III,42 (p. 131,2) } *τὰ περὶ μηνῶν*
de ost. (ed. Wachsm.[2]) prooem. c. 7 (p. 16,8) } *γραφέντα*;
de mag. I,9 (p. 15,17): *τὰ περὶ μηνῶν τεθέντα*;
de mag. prooem. (p. 1,8); II,4 (p. 58,12): *ἡ περὶ μηνῶν γραφεῖσα πραγματεία.*

Quibus omnibus addas: *de mens.* IV,112 (p. 152,4—7) et *de mag.* I,6 (p. 12,19—22); *de mens.* IV,114 (p. 152,15 sq.) et *de mag.* I,50 (p. 52,9 sq.), ubi libros *περὶ μηνῶν* non citavit.

§ 2.

Quemadmodum Lydus auctores adhibuerit.

In singulis fere huius scripti paginis extare videmus satis multa auctorum nomina, quae Lydus, utpote qui anxie providere soleat, ut lectores id quod in medio ponat pro vero certoque sumant, earum rerum quas ipse tractaturus est testes affert. Atque eum patet in eorum scriptorum numero esse, qui in auctorum excellentium lectione se iactent gaudeantque citatorum nominum multitudine.

Quae cum ita sint, iam nova exoritur quaestio, quemadmodum Lydus auctores suos in usum converterit.

---

[1]) cf. Schultzii iudicium in diss. p. 30.

Et in his rebus explorandis anquiramus necesse est primum, quanam in auctoribus citandis utatur consuetudine, deinde, quemadmodum auctores descripserit, denique, qualis sit fides Lydiana.

1.

Iam primo obtutu cognoscitur a Lydo adhibitam esse admodum variam *auctores citandi* rationem.[1]) Persaepe enim auctoris nomine omisso nude pronomine indefinito utitur, e. g.: *φασί τινες* vel alia id genus: p. 13,16; p. 51,16; p. 54,15; p. 122,21; p. 155,19; aut: *ὡς εἴρηται* p. 25,12; p. 33,8; p. 37,5; aut: *ὡς ἔφη τις* p. 73,2 vel *ἄλλος φησί* p. 32,14; p. 66,4; p. 116,6; p. 122,19; p. 123,21; p. 138,8 vel *εἰσὶ δὲ οἵ φασι* p. 170,21 vel *ὡς ἕτεροι* p. 8,7; p. 8,11; p. 163,17; aut universe: *φασίν* p. 1,9; p. 2,21; p. 7,18; p. 31,1; p. 34,18; p. 40,22; p. 43,5; p. 57,15; p. 64,16; p. 65,17; p. 67,23 et al.; aut: *ἰστέον* p. 14,21; p. 47,6; p. 73,20; p. 79,1; p. 136,7. Praeterea autem non raro certi auctoris nomen supprimit et genus tantum significat, in quo auctor numerandus est, veluti[2]) *οἱ γραμματικοί, θεολόγοι, ἱστορικοί* vel *ἡ ἱστορία παραδίδωσι* (p. 170,7; p. 170,13) *κοσμογράφοι, μαθηματικοί* vel *οἱ ἀπὸ τῶν μαθημάτων, μυθικοί* vel *οἱ τὰ μυθικὰ⟨συγγράψαντες⟩, οἱ ποιηταί*[3]), *οἱ φυσικοί, φυσιολόγοι, Χαλδαῖοι* vel *τὰ λόγιά φασιν* p. 3,4; p. 31,18; p. 32,4; p. 41,9; p. 58,22; p. 147,5 vel *ὁ Χαλδαῖος παραδίδωσι* p. 26,16; p. 110,21 vel *ὁ Χαλδαῖος ἐν τοῖς λογίοις* p. 28,4; p. 28,6; p. 175,9; *οἱ χωρογράφοι*, aut si quid commune eis est, philosophorum familias citat, e. g. *οἱ Πυθαγόρειοι* p. 16,7; p. 21,5; p. 28,8; p. 33,8; p. 39,14; p. 43,4; p. 64,11; p. 139,19; p. 150,11 vel *οἱ Στωϊκοί* vel simpliciter *οἱ φιλόσοφοι*

---

[1]) de hac citandi ratione cf. etiam I. Fr. Schultze l. c. p. 34.

[2]) omnes locos, ubi Lydus haec virorum doctorum genera in testimonium vocat, Wuenschius enumerat in auctorum indice ed. p. 185 sqq.

[3]) addas ad locos a Wuenschio enumeratos p. 187 hosce: p. 2,20; p. 42,5.

vel οἱ φιλοσοφοῦντες vel οἱ φιλοσοφήσαντες vel οἱ παρὰ Ῥωμαίοις φιλοσοφοῦντες.

Orationem autem pedestrem versibus poeticis maximeque Homericis, Orphicis, Euripideis exornare Ioannem iuvat, sed unde decerpserit eos, numquam fere adscribit. Etenim Homerus atque Orpheus et Vergilius ei sunt more antiquo poetae κατ᾽ ἐξοχήν [cf. p. 25,15; p. 129,15; p. 129,17; p. 176,3; p. 99,22; p. 125,7]. Semel autem ad Hesiodum, quem compluriens testem producit, librum adnotat, unde hauserit, p. 7,26: Ἡσίοδος ἐν Καταλόγοις, quo de loco a viris doctis multum certatum est.[1]) Nonnumquam vero scriptionum titulos adiecit, in quibus res invenerit narratas, cum nominatim auctores laudat, quorum locorum tabula haec est:

Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ p. 170,12;
Πρόκλος ἐν ὑμναρίοις p. 23,10;

Ἀριστείδης ἐν τῷ Περσικῷ p. 179,20;
Δικαίαρχος ἐν περιόδῳ γῆς p. 147,1;
Διογένης ἐν τοῖς ὑπὲρ Θούλην p. 40,1;
Διονύσιος ἐν ταῖς Κτίσεσι p. 36,7;
Ἰσίγονος ⟨περὶ Παλ⟩ικῶν θεῶν p. 170,12;
Μανέθων ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν p. 136,7;
Νικάνωρ ὁ τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἱστορήσας p. 102,13;
Πλούταρχος ἐν Συμποσίῳ p. 25,1;
Π⟨ολύχαρμος⟩ (?) ἐν τῷ περὶ Διονύσου p. 170,17;
Πτολεμαῖος ἐν τῇ ἁρμονικῇ p. 94,14; ἐν τοῖς πρὸς Σύρον γραφεῖσι p. 155,5;
Φλέγων ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν p. 11,14;

Ἀριστοτέλης ἐν πέπλῳ p. 179,15;

---

[1]) cf. Niese in Hermae vol. XII p. 417 hosce Hesiodi versus recentioris originis esse ratus et Wilamowitz in Hermae vol. XXXIV p. 611, qui iure, ut opinor, eos alii Catalogorum recensioni tribuit; cf. Rzach in ed. p. 322 frg. 4 (24).

Ἑρμῆς { ἐν τῷ καλουμένῳ τελείῳ λόγῳ p. 70,22; p. 90,24; p. 167,16;
{ ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ p. 116,18;
Ἰουλιανὸς ὁ βασιλεὺς γράφων Ἰουδαίοις p. 110,4;
Πλωτῖνος ἐν βιβλίῳ τῷ ἐπιγραφομένῳ „ὅπως ποιεῖ τὰ ἄστρα“ p. 95,19;
Πορφύριος ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν λογίων p. 110,18;
Πρόκλος ἐν ὑποτυπώσει τῆς Πλάτωνος (Πλατωνικῆς) φιλοσοφίας p. 27,19; p. 71,15;
Φίλων ὁ τὸν Μωυσέως βίον ἀναγράφων p. 103,17;

Ἀκυλῖνος[1]) ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν ἀριθμῶν p. 128,11;
Ἀνύσιος[1]) ἐν τῷ περὶ μηνῶν p. 83,5;
Βάλης, ὃς τὰ Καίσαρος ἔγραψε p. 142,21;
Γάβιος Βάσσος ἐν τῷ περὶ θεῶν p. 65,7;
Δαρδάνιος[2]) ἐν τῷ περὶ σταθμῶν p. 74,11;
Ἐλπιδιανὸς[1]) ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν p. 68,16;
Κίγκιος ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν p. 164,17;
Λίβιος ἐν τῇ καθόλου Ῥωμαϊκῇ ἱστορίᾳ p. 109,23;
Τάγης ἐν τοῖς σεισμοσκοπικοῖς p. 131,24;
Φοντήϊος[3]) ἐν τῷ περὶ ἀγαλμάτων p. 65,3.

Rarius vero Lydus libri numerum quo res tractaverint auctores adnotat. Atque Platonem quidem si testantem inducit, quo in libro res commemoretur, saepius adicit, sicuti ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης p. 3,2; ὁ ἐν Φαίδρῳ Σωκράτης p. 9,17; p. 27,12; ὁ ἐν Πολιτείᾳ Σωκράτης p. 27,13;

---

[1]) Aquilinus, Anysius, Elpidianus qui fuerint, difficile est ad explicandum; de Aquilinis cf. Wissowa, Realencycl. II p. 322; de Anysio cf. I. F. Schultze l. c. p. 29 not. 24; Müller, die Etrusker II p. 34; Wissowa l. c. I p. 2654; nomen Elpidiani occurrit apud Mommsen, inscript. regni Neap. n. 3066 (2149), Helpidiani ibidem n. 121 (cf. I. F. Schultze l. c.).

[2]) sic scribo codices secutus; cf. etiam Hultsch, Metrologie[2] p. 7 sq. et Metrolog. script. II,23; Wissowa l. c. IV p. 2165; de Dardano cf. Wissowa l. c. IV p. 2180.

[3]) de Fonteio cf. I. Fr. Schultze l. c. p. 38; Wachsmuth in proleg. ad libros de ost.[2] p. XXVI.

ὁ ἐν τῷ Κρατύλῳ Σωκράτης p. 138,21; Πλάτων ἐν συμποσίῳ p. 172,11; plerumque autem simpliciter citat Parmenidem, Phaedonem, Timaeum. Eorum locorum index quibus libri numerum indicat hic est:

Καλλίμαχος ἐν πρώτῳ αἰτιῶν p. 64,9;

Διογένης ἐν τρισκαιδεκάτῃ ἀπίστων p. 99,24;
Ἔφορος ὁ Κυμαῖος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν p. 146,11;
Καλλισθένης ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῷ τετάρτῳ βιβλίῳ τῶν Ἑλληνικῶν p. 146,20;
Μανέθων Αἰγυπτιακῶν ὑπομνημάτων ἐν τόμῳ τρίτῳ p. 136,1;
Μένανδρος ἐν ⟨τῇ⟩ πρώτῃ p. 171,4;
Ἑρέννιος Φίλων ⟨ἐκ τῆ⟩ς δευτέρας τῶν Φοινικικῶν p. 170,6;
Φύλ⟨αρχος ἐν τῇ ἑ⟩πτακαιδεκάτῃ p. 171,4;

Ἀριστοτέλης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς p. 58,10;
Ἰάμβλιχος { ἐν τῷ πρώτῳ τῆς περὶ καθόδου ψυχῆς πραγματείας p. 167,23;
ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Χαλδαϊκῶν p. 175,10; }

Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων p. 64,18.

Plerumque vero, ut doctrinae speciem prae se ferat, in auctoribus Romanorum laudandis ὁ Ῥωμαῖος addere solet, e. g.:

Ὀβίδιος ὁ Ῥωμαῖος p. 66,11;

ὁ Ῥωμαῖος Ἀπουλήϊος p. 154,10;
ὁ Ῥωμαῖος Βάρρων p. 110,25; p. 165,20;
Δίων ὁ Ῥωμαῖος p. 66,12;
ὁ Ῥωμαῖος Πλίνιος[1]) p. 84,15;

---

[1]) hoc loco citato Plinii nomen non leges; illud autem hic afferendum esse Wuenschius ipse demonstravit (Festschrift für C. F. W. Müller, Lips. 1900 p. 120 sq. = Annal. philol. suppl. XXVII (1902) p. 120 sq.).

Φοντήϊος ὁ Ῥωμαῖος p. 180,10;
Χρῆστος ὁ Ῥωμαῖος p. 147,7;

Κίγκιος ὁ Ῥωμαῖος σοφιστής p. 118,1 vel *ὁ παρὰ Ῥωμαίοις Κίγκιος* p. 135,16;
Νουμήνιος ὁ Ῥωμαῖος p. 132,11;
ὁ μέγιστος ἐν φιλοσόφοις Ῥωμαίοις Σενέκας p. 144,15.

A quo more in aliis quoque scriptoribus citandis perraro recessit; nam eum auctorum patriam persaepe adicientem videmus, ut ex hoc intelleges:

Εὔρυτος[1]) *ὁ Λακεδ⟨αιμόνιος ὁ μ⟩ελοποιός* p. 172,10;
Τέρπανδρος ὁ Λέσβιος p. 106,20:

Ἀνάχαρσις ὁ Σκύθης p. 36,17;
Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης p. 145,20;
Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης p. 145,5;
Εὔμηλος ὁ Κορίνθιος p. 123,14;
Ἔφορος ὁ Κυμαῖος p. 146,11;
Ζώπυρος ὁ ⟨Βυζάντιος⟩ p. 168,20;
Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός p. 99,18;
Θρασυάλκης ὁ Θάσιος p. 146,16;
Καλλισθένης ὁ Συβαρίτης p. 52,6, quem distinguit a *Καλλισθένης ὁ Περιπατητικός* p. 146,20;
Κτησίας ὁ Κνίδιος p. 77,10;
Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης p. 134,14.

Praeter hos auctores quos modo enumeravimus a Lydo in libris *de mensibus* permultos alios laudatos esse e Wuenschii auctorum indice perfacile cognoscitur. Atque is quidem, qui huiusce nominum multitudinis diligenter rationem habuerit, facere non poterit, quin maximum fuisse

---

[1]) de huius poetae quem Lydus hic laudat nomine virorum doctorum sententiae in diversas partes abeunt; nam Euryti nomen errore irrepsisse rati M. Schmidtius in Philologi vol. XVIII p. 227 Alcmanem et G. Wolffius in Mus. Rhen. XIX p. 464 Tyrtaeum intellegendum esse mirifice coniecerunt; equidem cum Wuenschio codicum auctoritatem sequor.

censeat auctorum ab Ioanne adhibitorum numerum. Et mirum quantum favet huic opinioni, quod res a Lydo enarratae, quibus persaepe praeter legentium exspectationem narrationes suas exornare et locupletare solet, tam multiplices variaeque sunt, ut Photius patriarcha iure meritoque tulerit illud iudicium iam supra (p. 2 not. 2) exscriptum. Inde quidem viri docti multos Lydum esse secutum auctores putaverunt, veluti Hasius in hunc fere modum locutus[1]:

„Hoc in libro, decurso totius anni spatio, fastos populi Romani dies, quo quisque modo quamve ob causam agitatus esset, ab initio rerum Romanarum usque ad Iustinianum Augustum diligenter persecutus est, idque *ex idoneis auctoribus cum Graecis permultis tum Latinis:* Gavio Basso, Fonteio, Aquilino, Cincio, M. Varrone, Maximo, Visellio, Apuleio, M. Messala, Cornelio Labeone, Seneca, Valente, Mummio *aliisque nunc vel omnino vel magna ex parte perditis.*"

Nec multo aliter disputat Hermannus Diels haec verba faciens[2]:

„Omnino Lydus *tot illustribus scriptoribus et graecis et romanis usus* istud christianorum compilatorum genus videtur fastidivisse."

Atque re vera Lydum, si hanc doctrinam quae ab ipso venditatur perlegendis excerpendisque omnibus quos laudat auctoribus conlegisset, sane esse summis laudibus efferendum quis est qui neget?

Contra longe aliter censet Ioannes Fridericus Schultze, qui contrarium ipsum verum esse pro certo affirmat et hoc modo sententiis brevi ante prolatis vehementer obloquitur ac Lydum nil amplius nisi magnae lectionis speciem prae se ferre identidem exponit sic locutus[3]: „*Ex scriptoribus quorum nomina avide* in libris suis *cumulat, per-*

1) in commentario de Ioanne Lydo p. XI.
2) cf. Doxogr. gr. p. 17.
3) in diss. p. 12.

paucos ipse tractavit,“ porroque[1]): „*Ex ducentis*, quos laudat, *ne decimam quidem partem* eum legisse, nullus dubito.“[2])

Quae cum ita sint, si has hominum doctorum sententias tantopere inter se repugnantes, quamquam Schultziana opinio secundum illorum temporum compilatorum studia[3]) pro veri simillima habenda est, perpendemus, fieri non poterit, quin quemadmodum Lydus in auctorum laudatione versetur inquiramus. Id autem monstrare poterimus, si nonnullis usi luculentis exemplis, unde illa testimonia ducta sint, indicabimus. Quorum primum hoc in examen vocemus, quod Lydus in $I_{,14}$ de Romae urbis conditae tempore docet conspirans cum Solino illo polyhistore I, 18 (ed. Momms.); ubi hoc scriptum videmus:

Lyd. $I_{,14}$ (p. $8_{,5-11}$).	Solin. I, 18.
Ῥωμύλος δὲ κτίζει τὴν Ῥώμην τῇ πρὸ δεκαμιᾶς Καλενδῶν Μαΐου, ... ἡ δὲ ὥρα τῆς πόλεως ὥρα δευτέρα πρὸ τρίτης, ὡς Ταρρούτιος ὁ μαθηματικὸς κατεστήριξεν, Διὸς μὲν ἰχθύσι, Κρόνου δὲ καὶ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος καὶ Ἑρμοῦ Σκορπίῳ, Ἡλίου δὲ Ταύρῳ καὶ Σελήνης Ζυγῷ.	ibi Romulus mansitavit, qui auspicato murorum fundamenta iecit duodeviginti natus annos, XI K. Mai., hora post secundam ante tertiam, sicut L. Tarrutius[4]) prodidit mathematicorum nobilissimus, Iove in piscibus, Saturno Venere Marte Mercurio in scorpione, Sole in tauro, Luna in libra constitutis.

---

[1]) l. c. p. 13.

[2]) Schultzii opinionem Christ in hist. litt. Graec.[4] p. 830 sequitur.

[3]) cf. quod Wissowa de Macrobio docet in diss.: de Macrobii Saturnaliorum fontibus capita tria, Vratisl. 1880 p. 6 sq.

[4]) in hoc nomine afferendo fluctuant Soliniani codices inter Tarruntium, Tarrantium, Taruncium, Arruntium, Terentium; me autem concentus inter Lydum Solinumque invitat, ut L. Tarrutii nomen afferam.

E quorum locorum comparatione Lydum, utpote qui rebus non discrepet a Solino, aut Solinum ipsum ad describendum adhibuisse aut certe aliquem fontem, qui cum Solini artissime coniunctus esset, elucet; nam certus Lydi auctor quis fuerit, in incerto relinquere praestat, quod ipse eius nomen reticet. Id autem constat eum in suo fonte *Tarrutium illum mathematicum* iam nominatum invenisse.

Idem vero in alios locos cadere cognosces, si comparabis Lyd. I,12 (p. 33,8 sq.) cum Philonis verbis in *de opificio mundi* § 100 (p. 34,12—19)[1]):

Lyd. II,12 (p. 33,8 sq.)

οἵ γε μὴν Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τοῦ παντὸς τὴν ἑβδόμην ἀνατίθενται .... ὀρθῶς οὖν ἀμήτορα τὸν ἑπτὰ ἀριθμὸν ὁ Φιλόλαος προσηγόρευσε, μόνος γὰρ οὔτε γεννᾶν οὔτε γεννᾶσθαι πέφυκε. τὸ δὲ μήτε γεννῶν μήτε γεννώμενον ἀκίνητον· ἐν κινήσει γὰρ ἡ γέννησις, τὸ μέν, ἵνα γεννήσῃ, τὸ δέ, ἵνα γεννηθῇ· τοιοῦτος δὲ ὁ θεός, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ ῥήτωρ ὁ Ταραντῖνος· φησὶ δὲ οὕτως· ʽἔστι γὰρ ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντα ν εἷς ἀεὶ ὢν θεός, μόνιμος ἀκίνητος αὐτὸς ἑαυτῷ ὅμοιος.ʼ

Phil. de opif. m. § 100.

οἱ δὲ Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τῶν συμπάντων· τὸ γὰρ μήτε γεννῶν μήτε γεννώμενον ἀκίνητον μένει· ἐν κινήσει γὰρ ἡ γένεσις, ἐπεὶ ⟨καὶ τὸ γεννῶν⟩ καὶ τὸ γεννώμενον οὐκ ἄνευ κινήσεως, τὸ μὲν ἵνα γεννήσῃ, τὸ δὲ ἵνα γεννηθῇ· μόνον δ' οὔτε κινοῦν οὔτε κινούμενον ὁ πρεσβύτερος ἄρχων καὶ ἡγεμών, οὗ λέγοιτ' ἂν προσηκόντως εἰκὼν ἑβδομάς. μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Φιλόλαος ἐν τούτοις· „Ἔστι γάρ, φησίν, ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων θεὸς εἷς ἀεὶ ὤν, μόνιμος, ἀκίνητος, αὐτὸς αὐτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων."

Utriusque commenti explicationes de septenario

---

[1]) sequor editionem a Leop. Cohn et P. Wendland factam vol. I.

numero in universum paene adcurate inter se consentiunt, nisi quod Philo alterum Philolai testimonium (apud Lydum p. 33,14) neglexit atque aliud uberius Lydo pertractavit. Itaque quin Philo ipse non Lydi auctor fuerit, non dubium est, sed potius utrumque ad unum eundemque auctorem ultimum recedere Hermannus Diels[1]) non inscite opinatus est optimeque huic opinioni convenit, quod apud Philonem nomine Philolai suppresso ante illum supra exscriptum locum haece verba extant: *δι᾽ ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον* [i. e. *τὸν ἑπτὰ ἀριθμόν*] *ἐξομοιοῦσι τῇ ἀμήτορι Νίκῃ καὶ Παρθένῳ κτλ.* atque apud Lydum: *ὀρθῶς οὖν ἀμήτορα τὸν ἑπτὰ ἀριθμὸν ὁ Φιλόλαος προσηγόρευσε.*

Licet vero vel Lydus ipse vel aliquis auctor proximus[2]), quem dissimulare studet, Philonis fontem inspexerit, tamen sine dubio Ioannes haec auctorum nomina iam in fonte suo invenit.

Nec minus certum est Lydum non modo unum vel duo nomina, sed omnia eorum scriptorum citavisse, quos in fontibus suis nominatos reppererat. Id enim dilucide demonstrat hic locus III,5 (p. 39,18), ubi se ipsum auctorum nomina conlegisse simulat fontem non adnotans:

Lyd. III,5 (p. 39,18)	Ioseph. in Antiq. Iud. I § 108 (Niese)
Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἑκαταῖος, Ἑλλάνικος καὶ Ἀκουσίλαος καὶ Ἔφορος καὶ Νικόλαός φασι τοὺς μακραίωνας καὶ ὑπὲρ χιλίους διαζῆσαι χρόνους.	*Ἡσίοδός τε καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἀκουσίλαος καὶ πρὸς τούτοις Ἔφορος καὶ Νικόλαος ἱστοροῦσι τοὺς ἀρχαίους ζήσαντας ἔτη χίλια.*

Cuius rei etiam alterum excitemus testimonium, ubi

---

1) cf. Diels, Fragm. der Vorsokratiker ² I p. 246 n. 20.

2) cf. infra § 3,2.

iterum auctoris mentionem omittit, cetera vero omnia cum omnibus fere citatorum scriptorum nominibus describit; agitur de Lydi loco IV,81 (p. 133,9 sq.), qui cum Plutarchi quae vocatur epitoma I,26 sq. [cf. Diels, Doxogr. gr. p. 321a13 sq.] comparari potest:

Lyd. IV,81 (p. 133,9—14)	Plut. ep. I,26
ὅτι ὁ Ἐμπεδοκλῆς οὐσίαν ἀνάγκης αἰτίαν χρηστικὴν τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν στοιχείων ἐνέκρινεν·	*Ἐμπεδοκλῆς οὐσίαν ἀνάγκης αἰτίαν χρηστικὴν τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν στοιχείων.*
ὁ δὲ Δημόκριτος τὴν ἀντιτυπίαν καὶ πληγὴν καὶ φορὰν τῆς ὕλης.	*Δημόκριτος τὴν ἀντιτυπίαν καὶ φορὰν καὶ πληγὴν τῆς ὕλης.*
Πλάτων γε μὴν τὰ μὲν εἰς πρόνοιαν, τὰ δὲ εἰς ἀνάγκην ἀνήγαγεν, ὅτε μὲν τὴν ὕλην, ὅτε δὲ τὴν τοῦ ποιοῦντος σχέσιν αἰτιώμενος.	*Πλάτων τὰ μὲν εἰς πρόνοιαν ἄγει, τὰ δὲ εἰς ἀνάγκην* [Plut. ep. I, 25.5], *Πλάτων ὁτὲ μὲν τὴν ὕλην ὁτὲ δὲ τὴν τοῦ ποιοῦντος πρὸς τὴν ὕλην σχέσιν.*

Lyd. IV,81 (p. 133,14—20)	Plut. ep. I,27
τὴν δ᾽ εἱμαρμένην Ἡράκλειτος τὴν αὐτὴν καὶ ἀνάγκην εἶναι βούλεται,	*Ἡράκλειτος πάντα καθ᾽ εἱμαρμένην, τὴν δὲ αὐτὴν ὑπάρχειν καὶ ἀνάγκην.*
ὁ δὲ Πλάτων προστίθησι καὶ τὴν παρ᾽ ἡμᾶς αἰτίαν.	*Πλάτων ἐγκρίνει μὲν τὴν εἱμαρμένην ....., συνεισάγει δὲ καὶ τὴν παρ᾽ ἡμᾶς αἰτίαν.*
οἱ μὲν οὖν Στωϊκοὶ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀκίνητον, τὴν δὲ εἱμαρμένην φασὶ συμπλοκὴν εἶναι αἰτιῶν τεταγμένων· ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὰ παρ᾽ ἡμᾶς, ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δὲ συνειμάρθαι.	*οἱ Στωϊκοὶ .... τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητόν φασιν αἰτίαν καὶ βιαστικήν, τὴν δὲ εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ᾽ ἡμᾶς, ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι τὰ δὲ ἀνειμάρθαι.*

Lyd. IV,81 (p. 133,20—134,2)	Plut. ep. I,28
οὐσίαν δὲ εἱμαρμένην ὁ Ἡράκλειτος τὸν διὰ παντὸς ἥκοντα λόγον ἐνέκρινεν.	Ἡράκλειτος οὐσίαν εἱμαρμένης λόγον τὸν διὰ τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα·
ὁ δὲ Χρύσιππος τάξιν τοῦ παντὸς ἢ λόγον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ διοικουμένων.	Χρύσιππος δύναμιν πνευματικὴν τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν· ..... εἱμαρμένη ἐστὶν ὁ τοῦ κόσμου λόγος, ἢ νόμος τῶν [ὄντων] ἐν τῷ κόσμῳ προνοίᾳ διοικουμένων.
ὁ δὲ Ποσειδώνιος τρίτην ἀπόδοσιν ποιεῖται· πρώτην μὲν γὰρ εἶναι τὸν Δία, δευτέραν ⟨δὲ⟩ τὴν φύσιν, τρίτην ⟨δὲ⟩ τὴν εἱμαρμένην.	Ποσειδώνιος τρίτην ἀπὸ Διός· πρῶτον μὲν γὰρ εἶναι τὸν Δία, δεύτερον δὲ τὴν φύσιν, τρίτον δὲ τὴν εἱμαρμένην.
ὁ δὲ Πλάτων λόγον ἀΐδιον τῆς τοῦ παντὸς φύσεως.	Πλάτων λόγον ἀίδιον καὶ νόμον ἀίδιον τῆς τοῦ παντὸς φύσεως.

Eiusmodi autem exempla afferri possunt complura, ubi omnium fere auctorum nomina quae in fonte erant describit, ipsius vero fontis nomen dissimulat, e. gr. Lyd. III,12 (p. 53,6—54,7) = Plutarchi ep. II,25 [cf. Diels, Doxogr. gr. p. 355a 18 sq.] + Pl. ep. II,28 [l. c. p. 358a 6 sq.]; Lyd. IV,83 (p. 134,8—20) = Plut. ep. III,17 [l. c. p. 382a 16 sq.].

Sed quoniam ex hoc superstitum locorum numero sumpsimus satis multa inlustriaque exempla, prima, ut opinor, quaestionis lex sanciatur, ut *Lydus ipsorum fontium nomina constanter reticuerit atque omnium fere eorum quos in fontibus suis nominatos reppererat scriptorum nomina attulerit.*

Atque hanc quidem citandi rationem in aliis quoque scripti partibus quarum fontes aetatem non tulerunt valere ut facile est ad coniciendum, ita difficile ad demonstrandum.

Quid vero, quod Lydus non paucis locis ipsa auctorum verba directa quam dicere solemus oratione affert? Quorum locorum tabula haec est:

Διογένης ἐν τρισκαιδεκάτῃ ἀπίστων p. 99,24;

Ἀριστοτέλης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς p. 58,10;
Ἀρχύτας p. 29,5;
Πλάτων ἐν τῷ Τιμαίῳ p. 108,4 p. 109,16;
Πτολεμαῖος ἐν τῇ ἁρμονικῇ p. 94,14;
Φιλόλαος [ὁ ῥήτωρ ὁ Ταραντῖνος] p. 34,1;
Ἑρμῆς ἐν τῷ καλουμένῳ τελείῳ λόγῳ p. 70,22; p. 167,16;
Ἰάμβλιχος p. 69,23; p. 93,7; *ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Χαλδαϊκῶν* p. 175,10;
Ἰουλιανὸς ὁ βασιλεύς p. 110,4;
Νικόμαχος p. 120,8;
Πλωτῖνος p. 95,27; p. 96,6;
Πορφύριος p. 71,7; p. 138,24; p. 168,4;
Πρόκλος p. 128,3; p. 171,8; *ἐν ὑποτυπώσει τῆς Πλατωνικῆς φιλοσοφίας* p. 71,14;

Ἀκυλῖνος ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν ἀριθμῶν p. 128,11;
Μάξιμος p. 77,17;
Χρῆστος p. 147,7.

Horum autem locorum praeter paucos, veluti Aristotelem p. 58,10; Platonem p. 108,4; Ptolemaeum p. 94,14; Iamblichum p. 69,23; Nicomachum p. 120,8; Plotinum p. 95,27; p. 96,6; Porphyrium p. 168,4 condicio ea est, ut hosce omnes auctores cum aliis, qui de eodem argumento atque Lydus ipse egerunt, coniunctos inveniri cognoscamus ex hoc indice:

IV,42 de faba: *Πυθαγόρας* p. 99,14; *Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός* p. 99,18; *ὁ ποιητής* [i. e. *Ὀρφεύς*] p. 99,22; *Διογένης ἐν τρισκαιδεκάτῃ ἀπίστων* p. 99,24.
II,9 de quaternario numero: *οἱ φιλοσοφοῦντες* p. 28,22; *Πυθαγόρας* p. 29,3; *Ἀρχύτας* p. 29,4.

IV,53 de Hebraeorum deo: *Αἰγύπτιοι* p. 109,15; *Πλάτων ἐν Τιμαίῳ* p. 109,16; *Ἕλληνες* p. 109,18; *Λίβιος ἐν τῇ καθόλου Ῥωμαϊκῇ ἱστορίᾳ* p. 109,23; *Λούκανος* p. 109,25; *Νουμήνιος* p. 110,2; *Ἰουλιανὸς ὁ βασιλεύς* p. 110,4; *Ὠριγένης* p. 110,15; *Πορφύριος ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν λογίων* p. 110,18; *ὁ Χαλδαῖος* p. 110,21; *οἱ περὶ Ἰάμβλιχον καὶ Συριανὸν καὶ Πρόκλον* p. 110,22; *Βάρρων* p. 110,25; *Ἑρέννιος* p. 111,3.

II,12 de septenario numero: *οἱ Πυθαγόρειοι* p. 33,8; *Ὀρφεύς* p. 33,10; *Φιλόλαος* p. 33,14; *ὁ ῥήτωρ ὁ Ταραντῖνος* p. 34,1; *οἱ μαθηματικοί* p. 34,3; *Ἱπποκράτης* p. 35,12; *Τίμαιος* p. 35,17; *Διονύσιος ἐν ταῖς Κτίσεσι* p. 36,7.

IV,7 de Fortuna: *Ἑρμῆς ἐν τῷ καλουμένῳ τελείῳ λόγῳ* p. 70,22; *Πορφύριος* p. 71,7; *Πρόκλος ἐν ὑποτυπώσει τῆς Πλατωνικῆς φιλοσοφίας* p. 71,14; *Εὐριπίδου Πηλεύς* p. 71,21; *οἱ Ῥωμαῖοι* p. 72,1; *Πλάτων* p. 72,5; *Ἀριστοτέλης καὶ Θεόφραστος* p. 72,7; *Εὐριπίδης ἐν Ὑψιπύλῃ* p. 72,15; *τίς* p. 73,2; *Ἰσοκράτης* p. 73,12; *Πλάτων* p. 73,13.

IV,149 de animarum lustratione: *Ἑρμῆς ἐν τῷ λεγομένῳ τελείῳ λόγῳ* p. 167,16; *Ἰάμβλιχος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς περὶ καθόδου ψυχῆς πραγματείας* p. 167,23.

IV,35 de Bono et Malo: *Ἰάμβλιχος* p. 93,10; *ὁ Διάδοχος Πρόκλος* p. 93,15; *Πλάτων* p. 93,23.

IV,159 de materia: *οἱ φυσικοί* p. 175,1; *οἱ φιλοσοφήσαντες* p. 175,3; *ὁ Χαλδαῖος ἐν τοῖς λογίοις* p. 175,9; *Ἰάμβλιχος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Χαλδαϊκῶν* p. 175,10.

IV,94 de Vesta dea: *οἱ φυσικοί* p. 138,18; *οἱ θεολόγοι* p. 138,20; *ὁ ἐν τῷ Κρατύλῳ Σωκράτης* p. 138,21; *Πορφύριος* p. 138,24; *οἱ Ῥωμαίων ἱεροφάνται* p. 139,5.

IV,76 de Maia dea: *Πρόκλος* p. 128,3; *Ἀκυλῖνος ἐν τῷ ὑπομνήματι τῶν ἀριθμῶν* p. 128,11; *οἱ πολλοί* p. 128,19.

IV,154 de Saturno deo: *ἡ ἱστορία* p. 170,7; *Χάραξ* p. 170,10; *Ἰσίγονος περὶ Παλικῶν θεῶν καὶ Πολέμων καὶ Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ* p. 170,11; *πᾶσα ἡ ἱστορία κατὰ τὸν Εὐήμερον* p. 170,13; *Π⟨ολύχαρμος⟩ ἐν τῷ περὶ Διονύσου* p. 170,17; *εἰσὶ δὲ οἵ φασι* p. 170,21; *Φύλαρχος ἐν τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ*

καὶ Μένανδρος τῇ πρώτῃ p. 171,4; *ὁ μέγας Πρόκλος* p. 171,8.

IV,14 de piperis arbore: *οἱ παλαιοί* p. 77,9; *Κτησίας ὁ Κνίδιος* p. 77,10; *Μάξιμος* p. 77,17.

IV,107 de Nili inundatione: *Ἀναξαγόρας* p. 144,12; *Αἰσχύλος καὶ Σοφοκλῆς καὶ Εὐριπίδης* p. 144,14; *Σενέκας* p. 144,16; *Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης* p. 145,5; *Σενέκας* p. 145,13; *Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης* p. 145,20; *Ἡρόδοτος* p. 146,3; *οἱ Αἰγύπτιοι* p. 146,8; *Ἔφορος ὁ Κυμαῖος* p. 146,11; *Θρασυάλκης ὁ Θάσιος* p. 146,16; *Καλλισθένης ὁ Περιπατητικός* p. 146,20; *Δικαίαρχος* p. 147,1; *Χρῆστος ὁ Ῥωμαῖος* p. 147,7.

Iam vero nominibus auctorum congestis nobis mirandum est, quod his ipsis locis, quibus auctores nusquam fere e temporum ordine enumerat, Lydus, quamquam aliorum testimonia oratione quae vocatur obliqua usus affert, tamen in iis qui ipsi aetate proximi sunt, plerumque orationem directam habet. Non raro etiam inprimisque in philosophis Neoplatonicis haec additamenta facit: IV,35 (p. 93,15) *πρὸς τοῦ Διαδόχου Πρόκλου ἔστι μαθεῖν* vel IV,154 (p. 171,7) *αὐτοῖς τοῖς τοῦ μεγάλου Πρόκλου χρησόμεθα ῥήμασι*; IV,159 (p. 175,10) *ὅπως ὁ Ἰάμβλιχος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Χαλδαϊκῶν φησι, ἀκοῦσαι ἄξιον.*

Sed nobis huc respicientibus Lydum tali modo fontem quem inspexerat indicasse veri admodum simile fit, nisi aliae causae huic observationi obloquuntur. Dolendum vero est, quod auctorum citatorum fragmenta, quorum aut nulla aut exilia ad nos pervenerunt, certum non permittunt iudicium. Nihilo autem minus *alteram citandi legem* hanc esse observandam censeo, *ut, cum plures auctores de uno eodemque argumento citet unumque eorum, utpote qui ipsi aetate proximus sit, ad verbum exscribat, non omni careat probabilitate Lydum, si quo eorum usus sit, ex hoc recentissimo hausisse reliquorum omnium nomina.*

2.

Qua quaestione expedita iam deinceps nobis investigandum est, *utrum Lydus adcurate an neglegenter res ex auctoribus suis petitas reddiderit.* Cuius usum describendi ut demonstremus, nonnulla exempla contemplari placet, ac primum oculos ad eas Lydiani scripti partes convertamus, quarum fontes e quibus Ioannes ipse videtur hausisse aetatem tulerunt. Horum vero locorum in numero eos censendos esse iudico, quos ad verbum se descripsisse indicat.

Quod huc attinet, Lydum diligenter res ex auctoribus sumptas reddidisse e loco Aristotelico in libris *περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς* cum Lydiano in III,18 (p. 58,11 sq.) conlato elucet:

Lyd. III,18 (p. 58,11 sq.)	Aristot. l. c. II, 10 (p. 336a 26 sq. B.)
μιᾶς μὲν οὔσης τῆς φορᾶς οὐκ ἐνδέχεται γίνεσθαι τὰ ἄμφω, γένεσιν καὶ φθοράν, διὰ τὸ ἐναντία εἶναι· τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν, ὥστε ἤτοι γένεσίς ἐστιν ἀεὶ ἢ φθορά. δεῖ δὲ πλείους εἶναι τὰς κινήσεις καὶ ἐναντίας ἢ τῇ φορᾷ ἢ τῇ ἀνωμαλίᾳ· τῶν γὰρ ἐναντίων τὰ ἐναντία αἴτια. διὸ οὐχ ἡ πρώτη φορὰ αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἀλλ᾽ ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον· ἐν ταύτῃ γὰρ καὶ τὸ συνεχὲς ἔνεστι καὶ τὸ κινεῖσθαι δύο κινήσεις.	*μιᾶς μὲν οὔσης τῆς φορᾶς οὐκ ἐνδέχεται γίνεσθαι ἄμφω διὰ τὸ ἐναντία εἶναι· τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν. ὥστε ἤτοι γένεσις ἀεὶ ἔσται ἢ φθορά. δεῖ δὲ πλείους εἶναι τὰς κινήσεις καὶ ἐναντίας, ἢ τῇ φορᾷ ἢ τῇ ἀνωμαλίᾳ· τῶν γὰρ ἐναντίων τἀναντία αἴτια. διὸ καὶ οὐχ ἡ πρώτη φορὰ αἰτία ἐστὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἀλλ᾽ ἡ κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον· ἐν ταύτῃ γὰρ καὶ τὸ συνεχές ἐστι καὶ τὸ κινεῖσθαι δύο κινήσεις.*

In utroque commento verba ad unguem quasi inter se consentire, sed Lydum e toto contextu *γένεσιν καὶ φθοράν* (p. 58,12) supplevisse videmus. Similiter aliquid ille in Plotini verbis inseruit, quae ad verbum ex eius opere *Enneades* II 3,8 se desumpsisse simulat:

Lyd. IV,37 (p. 96,1 sq.)

σημαίνει — ἤγουν τὰ ἄστρα — μὲν οὖν πάντα ὅσα ἐν αἰσθητῷ, ποιεῖ δὲ ἄλλα, ὅσα φανερῶς ποιεῖ· ἡμεῖς δὲ ψυχῆς ἔργα κατὰ φύσιν ποιοῦμεν, ἕως μὴ ἐσφάλημεν ἐν τῷ πλήθει τοῦ παντός· σφαλέντες δὲ ἔχομεν δίκην.

Plot. in Ennead. II 3,8 (ed. H. F. Müller)

σημαίνει μὲν οὖν πάντα ὅσα ἐν αἰσθητῷ· ποιεῖ δὲ ἄλλα, ὅσα φανερῶς ποιεῖ· Ἡμεῖς δὲ ψυχῆς ἔργα κατὰ φύσιν ποιοῦμεν, ἕως μὴ ἐσφάλημεν ἐν τῷ πλήθει τοῦ παντός· σφαλέντες δὲ ἔχομεν δίκην.

Praeter hos locos conferas quaeso Lyd. IV,38 (p. 96,6 — 97,14) cum Plotino in *Ennead.* II 3,9 sq.

Neque aliter res se habet de Lydi IV,24 (p. 82,12—21), ubi fontem nos celat; attamen eum ex *Iesaiae prophetae* I, 11—14 versione Graeca a LXX interpretibus facta hausisse scimus:

Lyd. IV,24 (p. 82,12—21)

Τί μοι πλῆθος τῶν θυσιῶν ὑμῶν; λέγει κύριος· πλήρης εἰμὶ ὁλοκαυτωμάτων κριῶν, καὶ στέαρ ἀρνῶν καὶ αἷμα ταύρων καὶ τράγων οὐ βούλομαι, οὐδ' ἂν ἔρχησθε ὀφθῆναί μοι· τίς γὰρ ἐξεζήτησε ταῦτα ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν; πατεῖν τὴν αὐλήν μου

Ies. I, 11—14[1])

11. *τί μοι πλῆθος τῶν θυσιῶν ὑμῶν; λέγει Κύριος· πλήρης εἰμὶ ὁλοκαυτωμάτων κριῶν, καὶ στέαρ ἀρνῶν καὶ αἷμα ταύρων καὶ τράγων οὐ βούλομαι,* 12. *οὐδ' ἂν ἔρχησθε ὀφθῆναί μοι. τίς γὰρ ἐξεζήτησεν ταῦτα ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν; πατεῖν τὴν αὐλήν μου*

---

1) sequor veteris Testamenti Graeci editionem a Swete factam, vol. III Cambridge 1894.

οὐ προσθήσεσθε. ἐὰν φέρητε σεμίδαλιν, μάταιον· θυμίαμα βδέλυγμά μοί ἐστι. τὰς νουμηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα καὶ ἡμέραν μεγάλην κλητὴν οὐκ ἀνέχομαι· νηστείαν καὶ ἀργίαν καὶ τὰς νουμηνίας ὑμῶν καὶ τὰς ἑορτὰς ὑμῶν μισεῖ ἡ ψυχή μου· ἐγενήθητέ μοι εἰς πλησμονήν.

13. *οὐ προσθήσεσθε· ἐὰν φέρητε σεμίδαλιν, μάταιον· θυμίαμα, βδέλυγμά μοί ἐστιν· τὰς νουμηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα καὶ ἡμέραν μεγάλην οὐκ ἀνέχομαι· νηστείαν καὶ ἀργίαν* 14. *καὶ τὰς νουμηνίας ὑμῶν καὶ τὰς ἑορτὰς ὑμῶν μισεῖ ἡ ψυχή μου· ἐγενήθητέ μοι εἰς πλησμονήν.*

Lydum autem vetus Testamentum Graecum eadem usum diligentia ad describendum adhibuisse cognosci licet ex his locis comparandis: Lyd. III,$_{11}$ (p. 50,$_{6}$) cum Psalm. 80,$_{4}$; Lyd. IV,$_{53}$ (p. 111,$_{13}$) cum Levitic. 10,$_{9}$.

Nec minus adcurate Lydus in describendis versibus et Homericis et Euripideis aliisque versatus est, ut ex eorum comparatione facile intellegitur.

His vero locis allatis nunc veniamus ad eas partes quibus Ioannem persaepe cum aliis auctoribus ita concordantem videmus, ut hi loci, etiamsi eos nequaquam ex uno eodemque fonte proximo simul fluxisse veri admodum simile est, tamen procul dubio ad eundem auctorem ultimum recedant. Rem enim sic se habere ille Lydi locus II,$_{12}$ (p. 33,$_{8}$ sq.) cum Philonianis verbis in *de opif. mundi* § 100 supra (p. 29) comparatus testatur.

Sed iam huius describendi rationis singularia alia congeramus exempla. In IV,$_{7}$ Lydus de Fortuna eiusque natura locutus hos testes advocat: p. 70,$_{22}$ Hermetem; p. 71,$_{7}$ Porphyrium; p. 71,$_{14}$ Proclum; p. 71,$_{21}$ Euripidem; p. 72,$_{1}$ Romanos; p. 72,$_{5}$ Platonem; p. 72,$_{7}$ Aristotelem et Theophrastum; p. 72,$_{15}$ Euripidem; p. 73,$_{12}$ Isocratem; p. 73,$_{13}$ Platonem. Quae tota disputatio quin ex philosophi opere fluxerit, haud sane facile quisquam dubitabit; atque mihi

quidem esse veri simile videtur hunc locum ex Procli aliquo libro desumptum esse, utpote quem omnium recentissimum citet et nominato opere verbotenus describat. Hac in Lydi explicatione iam alius locus (p. 72,21 sq.) invenitur, qui cum Philonis verbis in eius scripto *de somniis* I,24 (ed. Cohn-Wendland III p. 237,20 sq. comparari potest:

Lyd. IV,7 (p. 72,21 sq.)	Phil. *de somn.* I,24 (§ 153 sq.)
τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα κλίμακι πέφυκεν ἐξομοιοῦσθαι διὰ τὴν ἀνώμαλον αὐτῶν φοράν· „ἐν μιᾷ γάρ,“ ὥς ἔφη τις, „ἡμέρᾳ τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δ' ἦρ' ἄνω,“ μηδενὸς ἐν ὁμοίῳ πεφυκότος μένειν τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ παντοίαις μεταβάλλοντος τροπαῖς. ἢ οὐκ ἄρχοντες μὲν ἐξ ἰδιωτῶν, ἰδιῶται δὲ ἐξ ἀρχόντων, πένητες δὲ ἐκ πλουσίων καὶ ἐκ πενήτων πολυχρήματοι, καὶ ἔνδοξοι μὲν ἐξ ἠμελημένων, ἐπιφανέστατοι δὲ ἐξ ἀδόξων γίνονται;	*τὰ ἀνθρώπων πράγματα κλίμακι πέφυκεν ἐξομοιοῦσθαι διὰ τὴν ἀνώμαλον αὐτῶν φοράν. ἡ μία γάρ, ὥς ἔφη τις, ἡμέρα τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δὲ ἦρεν ἄνω, μηδενὸς ἐν ὁμοίῳ πεφυκότος μένειν τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ παντοίας μεταβαλλόντων τροπάς. ἢ οὐκ ἄρχοντες μὲν ἐξ ἰδιωτῶν, ἰδιῶται δ' ἐξ ἀρχόντων, πένητες δ' ἐκ πλουσίων καὶ ἐκ πενήτων πολυχρήματοι καὶ ἔνδοξοι μὲν ἐξ ἠμελημένων, ἐπιφανέστατοι δὲ ἐξ ἀδόξων ἀεὶ γίνονται.*

Utriusque commenti explicationes quamquam Lydum non a Philone ipso pendere iam ex tota huius paragraphi indole concludi licet, tamen inter se adeo conspirant, ut Ioannem hic quoque anxie auctoris quisquis fuit vestigia pressisse videamus; nam tantularum discrepantiarum culpam, ut opinor, vel Lydi auctor vel epitomatores sustinent.

Huic rei autem documento locus IV,86 (p. 135,19 sq.) est, qui cum Eusebiano in praep. ev. III 11,23 in comparationem vocari potest:

Lyd. IV,86 (p. 135,19)	Porphyr. ap. Euseb., pr. ev. III 11,23
ὁ δὲ Χαιρωνεύς φησιν, ὅτι τοῦ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς· ἔνθα τοῦ πυρὸς τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον.	τοῦ δ᾽ αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πίλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυρός ἐστι τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον.

Quorum locorum verba singula quaeque paene ad litteram inter se similia videntur, nisi quod apud Lydum Plutarchi nomen errore nescio quo (fortasse epitomatoris culpa) irrepsisse et Porphyrium intellegendum esse Börtzlerus[1]) nobis persuasit. Atque fontem quidem, unde Lydus Porphyrianam doctrinam hauserit, fuisse ipsum Porphyrii librum περὶ ἀγαλμάτων L. Traube[2]) coniecit. Huic opinioni autem Börtzlerus[3]) iure oblocutus Lydo Porphyrii doctrinam Eusebii auxilio suppeditatam esse censet. Iam vero equidem Börtzlero non plane assentiri possum, sed potius hunc locum ex eodem fonte ac reliqua de dis deabusque placita ducta esse contendere ausim. Nam haec tota de Vulcani dei natura enarratio ut ex illo fonte fluxerit, simillima ratio suadet, qua aliis quoque locis in deorum naturam ille inquirit [e. g. IV,64 de Venere; IV,80 de Mercurio]. Tum vero hunc locum arte cohaerere cum illis mythologicis disquisitionibus vel inde adparet, quod Cincius et Numenius, qui ibi de Venere [IV,64 (p. 118,1)] et de Mercurio [IV,80 (p. 132,11)] testes afferuntur, hic

1) l. c. p. 60 sq., ubi ille idem in Lydum IV,4 (p. 68,6) comparandum cum Eusebio in praep. ev. III 11,24 valere probat.
2) Traube, varia libamenta critica, diss. Monac. 1883 p. 38.
3) l. c. p. 61; 62; 66.

quoque advocantur; quae omnia unum eundemque auctorem sapiunt. Sed cum Cincii et Numenii testimonia apud Eusebium non legantur, eum non fuisse Lydi auctorem puto[1]).

Manethonis quoque verba, quae hoc loco inveniuntur [IV,86 (p. 136,1)] ex eodem fonte quo superiora Lydum deprompsisse suspicor:

Lyd. IV,86 (p. 136,1)

κατὰ δὲ ἱστορίαν Μανέθων Αἰγυπτιακῶν ὑπομνημάτων ἐν τόμῳ τρίτῳ φησίν, ὅτι πρῶτος ἀνθρώπων παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἐβασίλευσεν Ἥφαιστος ὁ καὶ εὑρέτης τοῦ πυρὸς αὐτοῖς γενόμενος· ἐξ οὗ Ἥλιος, οὗ Κρόνος, μεθ᾽ ὃν Ὄσιρις, ἔπειτα Τυφών, ἀδελφὸς Ὀσίρεως.

Eusebius in Arm. Chron. p. 93 (ed. Maï) e Manethone hauriens:

primus homo Aegyptiis Vulcanus est, qui etiam ignis repertor apud eos celebratur. Ex eo Sol; deinde Saturnus; tum Osiris; exin Osiridis frater Typhon.

Hic igitur locus, quam anxie Lydus secutus sit auctoris vestigia, documento est. Cuius rei exempla nolo cumulare, sed eos locos, qui non modo argumenti affinitate, sed etiam disquisitionis indole adeo cohaerent, ut ex eodem fonte proximo simul fluxisse videantur, ex quo de dis placita Lydus hauserit, conferri iubeo:

IV,6 (p. 70, 1—12)[2]) cum Eusebio in praep. ev. I 10,46
IV,94 (p. 139, 2—5)[3]) cum Eusebio l. c. III 11,7
IV,137 (p. 162,14—19)[4]) cum Eusebio l. c. III 11,9

---

[1]) de fonte ex quo mythologicas disquisitiones Lydus haustas refert, infra in § 3,3 agemus.

[2]) quo de loco cf. Traube l. c. p. 25; Börtzler l. c. p. 50 sq.

[3]) cf. Börtzler l. c. p. 61 sq.

[4]) cf. Traube l. c. p. 31.

IV,$_{149}$ (p. 167,$_{17}$) cum Apulei Aesc. s. Dial. Herm. Trism.[1]) c. XXVIII.

IV,$_{149}$ (p. 168,$_{5-8}$) cum Porphyrio *de abstin.* II,$_{5}$ [cf. Euseb. l. c. I 7,$_{8}$.

Praeter hos locos Lydum in exscribendis aliorum libris diligentem adcuratumque se praestitisse alia quoque ex aliis fontibus hausta exempla docent, veluti Lyd. III,$_{11}$ (p. 51,$_{17}$) cum Ps. Plut. *de fluviis* 1,$_{2}$ + 6,$_{2}$; Lyd. IV,$_{42}$ (p. 100,$_{1-13}$) cum Porphyrii *vita Pythagorae* § 44 (p. 41,$_{2-14}$ Nauck); quae unde Ioannes decerpserit, infra probabile reddam.

Lydum autem qui sine dubio Latinos quoque auctores adhibuit non minus diligenter in eis quam in Graecis esse versatum consentaneum est, nisi quod compilatorem, quantumvis linguae Latinae notitia saepe glorietur in libris *de mag.* III,$_{27}$ (p. 115,$_{1}$); III,$_{29}$ (p. 116,$_{18}$), eam parum calluisse[2]) semper memoria tenendum est. Rem sic se habere iam cognovimus ex comparatione Lydiani loci I,$_{14}$ cum Soliniano I,18 (vide p. 28 sq.).

Itaque quod Ioannem his locis semper anxie pressisse fontium vestigia neque umquam fere de suis adiecisse videmus, eam describendi legem constituendam censeo, ut *Lydum auctorum libros quibus usus sit ad verbum excerpsisse et res ab auctoribus relatas quas quidem recte intellexerit adcurate reprompsisse aut nihil fere mutantem aut raro perpauca de suis ipsum addentem statuamus.*

Quin etiam ille in describendis auctorum libris multo maiore diligentia quam iudicio versatus esse videtur mihi. Etenim quod nonnulli loci aliis obloquuntur, hoc ita modo expediri potest, ut Lydum duos auctores inspexisse adcurateque excerpsisse utrumque sumamus. Quo modo fieri poterat, ut in περὶ μηνῶν I,$_{21}$ (p. 11,$_{10}$) a Numa

---

[1]) de hoc dialogo vide I. Bernays, ges. Abhandlungen I p. 327 sq.; Reitzenstein, Archiv f. Relig. Wiss. VII p. 393 sq.

[2]) qua de re cf. I. Fr. Schultze l. c. p. 6 sq.

vestem regiam inductam, contra in *de mag.* I,7 (p. 13,2) trabeam iam a Latinorum regibus gestatam esse referret; porro autem huic rei est inlustri documento, quod de Caesaris nomine derivando locutus veterum opinionem, quamquam *de mens.* IV,102 (p. 142,9) vehementer impugnavit, nihilo setius in *de mag.* I,23 (p. 26,6) ipse attulit.

3.

Qua cum quaestione modo ad finem perducta alia cohaeret, *qualis sit compilatoris fides.* Etenim veritatem rerum ab Ioanne enarratarum pendere a singulorum qui expilantur scriptorum fide iam per se patet. Attamen quod de huius compilatoris fide qui homines docti iudicarunt, ei omnes respexerunt universum opus Lydianum, eorum sententiae in diversas partes discesserunt.[1]) Ego autem nescio an non ferri possit iudicium, quod ad omnes operis partes aeque valeat, sed potius, ad quem ultimum auctorem singulae quaeque partes recedant, necesse est quaeramus examinaturi, utrum Lydus falsum an verum referat, vel ut aliis verbis utar, singulorum locorum fides nobis in examen vocanda est.

Iam id luculento inlustremus exemplo. In IV,154 (p. 170,7) Lydus de Saturni dei regno in Libya Siciliaque ac de urbis ab illo conditae nomine exponit, quod antea *Κρονία*, postea *Ἱερὰ πόλις* dicitur fuisse, testibus nominatis (p. 170,11): Isigono in libro *περὶ Παλικῶν θεῶν*; Polemone; Aeschylo *ἐν τῇ Αἴτνῃ*. Hoc loco autem I. Fr. Schultze[2]) Lydo tribuit vitio, quod ille nonnumquam scriptionum titulos adiciens falsos affert, e. gr. *Κίγκιος ἐν τῷ περὶ*

---

[1]) quam diversa de Lydo iudicia facta sint, ut cognoscas, videas quae dixerint G. B. Niebuhr in hist. Rom. II,12; II,137; G. F. Unger in Philologi vol. suppl. IV p. 300; I. Fr. Schultze l. c. p. 33; R. Agahd, M. Ter. Varronis Antiquitates Rer. Div. (Lips. 1898) p. 119 = annal. philol. suppl. XXIV (1898) p. 119.

[2]) l. c. p. 34.

ἑορτῶν, *Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ* pro *ἐν ταῖς Αἰτναίαις*. Sed illum virum doctum compilatorem non vituperaturum fuisse mihi persuasi, si quem ad auctorem ultimum id recederet quaesivisset, ideoque paulo adcuratius hanc rem pertractabo profectus a titulo qui ultimo loco allatus est.

Qua in re expedienda nil antiquius habemus quam ut quo ex ultimo auctore hunc titulum *Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ* (p. 170,12) Lydus lucratus sit quaeramus, atque valde gaudemus, quod Schultzius ipse viam, qua nobis ingrediendum est, egregie monstravit; neque enim eum fugerat eandem huius Aeschyleae tragoediae inscriptionem ac Lydum etiam Macrobium in Sat. l. V 19,24 exhibuisse sic testantem: „A e s c h y l i *tragoedia est, quae inscribitur* A e t n a." Hoc in capite Macrobius de Palicis deis copiose loquitur narrationumque testes laudat:

Aeschylum poetam in tragoedia Aetna [V 19,24];
Calliam in septima historia de rebus Siculis [V 19,25];
Polemonem in libro qui inscribitur *περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν* [V 19,26];
Xenagoram in tertia historia [V 19,30].

Lydus autem, ut monui, testantes inducit Isigonum[1]) *περὶ Παλικῶν θεῶν*; Polemonem; Aeschylum *ἐν τῇ Αἴτνῃ*. Iam secuto legem *de citandi consuetudine Lydiana* supra constitutam ipsis ex testium nominibus adparere mihi videtur nec Macrobium fuisse Lydi auctorem neque utrumque ex uno eodemque fonte proximo hausisse; sed uterque quin ad unum auctorem ultimum redeat, nemo sane facile dubitabit, praesertim cum in eo, quod Polemonem et Aeschylum pariter laudant, Lydus Macrobiusque inter se consentiant. Quisnam fuerit hic ultimus auctor, iam quaeres. Atque hanc quidem quaestionem Georgius Wis-

---

[1]) de Isigono nihil fere nobis notum est; verisimile est illum vixisse saeculo a. Chr. n. primo, praesertim cum Plinius in hist. nat. VII 2,12; VII 2,16; VII 2,27 ex eo hauriret maximeque Sotion; cf. Pauly, Realencycl. IV p. 275.

sowa,[1]) quantum ad Macrobii fontem detegendum pertinet, hoc modo expedire conatur: „horum," inquit „testimonia omnia ab uno scriptore (quem compilavit Macrobii auctor) in interpretationem versus Aeschylei conlecta esse tantum non certum est. ad Didymum bene quadrant Xenagorae et Polemonis mentiones, quorum priorem (qui omnino raro citatur) advocat Didymus etiam in fragmento, quod est apud Harpocrationem p. 115,$_{13}$ (M. Schmidt l. c. p. 317), Polemonem vero adeo adamat Chalcenterus, ut ex omnibus quae aetatem tulerunt Periegetae fragmentis maiorem partem Didymo debeamus [cf. Preller, Polem. fragm. p. 29)."

Haec sunt Georgii Wissowa verba, qui sine dubio illum Macrobii locum ad Didymum auctorem ultimum redire recte demonstravit. Ad Chalcenterum autem optime quadrare Aeschyli quoque nomen puto; nam Didymum illius poetae tragoedias ornasse doctis commentariis atque scholia Aeschylea quae ad nos pervenerunt permulta doctrinae Didymeae vestigia pressisse hodie inter omnes satis constat.[2]) Itaque mihi non dubium videtur, quin Didymus ipse hanc tragoediam ante oculos habuerit eiusque titulum „Aetna" scriptum legerit.[3])

---

[1]) in diss. p. 48.

[2]) qua de re conferas Susemihl, Gesch. d. griech. Litt. in der Alexandriner Zeit II p. 200 (not. 291): Wissowa, Realencyclop. V p. 452.

[3]) a posteris scriptoribus huius Aeschyleae tragoediae titulum in diversum modum nobis traditum esse ex hoc cognoscitur:

I.	*Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ*	Macrob. in Sat. V 19,$_{24}$ Lyd. de mens. IV,$_{154}$ (p. 170,$_{12}$) Hesychius s. v. *κρείττονες*
II.	*Αἰσχύλος ἐν Αἴτναις*	Stephan. Byz. (ed. Mein.) I p. 496,$_{9}$ scholiastes Townleianus ad Iliad. XVI 183.
III.	*Αἰσχύλος ἐν Αἰτναίαις*	Hesychius s. v. *αἱμοί* / *δρυμοί* / *ἀναξία* unus cod. Stephani Byz. s. v. *Παλική*.

Sed cum Lydus huius tragoediae inscriptionem ex aliquo scriptore qui redeat ad Didymum ultimum auctorem mutuatus sit, si in fabulae titulo mendum commissum est, hoc non Lydi culpa factum esse patet.

Neque aliter rem se habere in alio quo Schultze secutus Martini Hertzii coniecturam[1]) Ioannem aspergit vitio intelleges, si Lydi verba in IV,144 (p. 164,17): *Κίγκιος ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν* comparabis cum Macrobianis in Sat. l. I 12,12: „Cingius in eo libro quem de Fastis reliquit"; utrumque autem locum ad eundem auctorem ultimum e quo Lydus Macrobiusque explanationem de anni historia sumpserunt recedere in altero capite ostendam.

Ceterum notandum est nonnullos auctores ab Ioanne falso citatos esse, veluti in I,11 (p. 3,2): *ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης παραδίδωσι*, ubi hoc testimonium non invenitur, sed in Phaedro p. 253 sq.; in III,12 (p. 53,6): *Ἀναξιμένης τοίνυν* pro *Ἀναξίμανδρος* in Plut. ep. II,25.1 [cf. Diels, Doxogr. gr. p. 355a 18]; in IV,40 (p. 97,26): *κατὰ τὸν Ἀναξίμανδρον* pro *κατὰ τὸν Ἡράκλειτον* in Plut. ep. I, 3.11 [cf. Diels l. c. p. 283a 16]; in IV,84 (p. 134,21): *Πλάτων* pro *Στράτων* in Plut. ep. V, 8.2 [cf. Diels l. c. p. 421a 1]; in IV,147 (p. 165,21): *Ἀριστείδης* pro *Ἀριστόδημος* in Plut. pers. Parall. min. p. 314C. Cuius rei culpam quis sustineat, diiudicari vix potest.

Quam ob rem exortum est inter viros doctos certamen, quale ipsum sit verum tragoediae nomen; atque ex variis inscriptionibus defendit Schneidewinus (in novo Mus. Rhen. III p.70 sq.) titulum Aetnae; Hermannus [de Aeschyli Aetnaeis (Lips. 1837) = opusc. VII p. 315 sq.] autem tragoediam *Αἰτναῖοι* vel Nauck (in fragm. trag.[2] p. 5) *Αἰτναῖαι* inscriptam esse docet, sed Wilamowitzius titulum *Αἶτναι* pro vero habet (Hermae vol. XXXII p. 395 not. 1 = Euripides' Herakles I[1] p. 55 not. 14). Equidem censeo titulum *Αἴτνη* primarium fuisse, ut testatur Didymi testimonium apud Lydum et Macrobium; cf. Schneidewin l. c. p. 71 not. 1.

[1]) Cincii libri inscriptionem *περὶ ἑορτῶν* apud Lydum IV,144 (p. 164,17) falso pro „de feriis" traditam esse M. Hertzius, de L. Cinciis p. 34 sq. suspicatur.

§ 3.

De fontium delectu a Lydo habito.

His certis instructi subsidiis, quae maximam partem Lydianis locis cum aliis superstitibus comparatis orta sunt, accedamus ad aliam quaestionem solvendam, *quales cuiusque generis fontes Ioannes in universum adhibuisse videatur;* nec quisquam eorum, qui in Lydi fontibus indagandis versantur, facile in dubitationem vocabit, quin haec quaestio cum alia artissime cohaereat, *utrum Lydus permultos an paucos auctores in usum converterit.* Iam supra enim exposuimus Lydum non eos omnes legisse scriptores, quorum notitiam prae se ferat, sed ex aliis subduxisse permulta testimonia, quorum auctorum nomina ipse quantum potest dissimulare studet.

Qua in re exploranda initium nobis esse capiendum puto ab eius qua Lydus fuit aetatis indole; nam tum ipsum, cum in utraque antiquitatis gente litterae deflorescebant, hominum eruditorum cura magis magisque in compilandi excerpendique munere versari solebat, ut veterum doctrinae divitias diligenter congererent in amplissimos libros, quos scriptores aetate inferiores denuo in suum usum convertebant denuoque compilabant, exemplaria modo amplificantes modo resecantes idque tantopere, ut in hac farragine primorum eorumque optimorum scriptorum opera vix iam adgnoscerentur. Quo modo factum est, ut singula per saecula in omnibus fere litterarum campis opera conlecticia componerentur, quorum pauca plus minusve mutilata in manus nostras pervenerunt. Attamen ea quae aetatem non tulerunt non tota oblivione obruta sunt, cum eorum vestigia in multis serioris temporis operibus superstitibus inveniantur. Atque scholia, lexica, scripta miscella ad conscribendos libros *περὶ ἀρχῶν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας* inscriptos a Lydo adhibita esse ut olim Schultze[1]), sic

[1]) l. c. p. 13 (p. 29).

nuperrime Wuenschius[1]) recte iudicavit; hoc autem idem etiam de libris *περὶ μηνῶν* valere iuvabit inlustrare.

Neque quemquam puto mirari, quod in talibus fontibus describendis Lydus versatus est, si secum reputaverit, quam magnam materiae copiam ex omnibus litterarum provinciis desumptam in hos libros congesserit. Nam ea omnia Laurentium non ipsum potuisse conligere vel inde elucet, quod illum iam provecta aetate ad libros condendos incubuisse accepimus, postquam per annos quadraginta et septem menses praefecti officio functus semper, ut ipse gloriatur[2]), muneri operam navavit impigerrimam.

1.

Atque huius rei inlustrissimum praebent exemplum philosophorum veterum placita, quorum notitiam non raro iactat Lydus in hisce libris; nam id quod ille refert de necessitatis natura in IV,81 (p. 133,9—134,2) ab eo ipso ex aliquo fonte uno tenore depromptum esse dilucide adparet ex hoc loco cum Plutarchi quae vocatur epitoma I,26 sq. comparato. Philosophorum autem placita in utroque commento quod supra descripsimus in universum ad unguem quasi inter se conspirare videmus, etiamsi apud Lydum nonnumquam resecta et aliquoties mutata inveniantur verba.

Nec multo aliter rem se habere de Lydi paragrapho IV,83 (p. 134,8—20) vel inde elucet, quod hic locus paene ad verbum congruit cum Plut. ep. III,17, praeterquam quod haec quae in Lydiano loco p. 134,16: *τὸ αὐτὸ δὲ καὶ οἱ παρὰ Ῥωμαίοις φιλοσοφοῦντες* apud Plutarchum non leguntur, ut ex horum locorum comparatione cognoscas licet:

---

1) in praef. ed. *de mag.* p. XL sq.

2) videas Lydum in libris *de mag.* III,26 sq.

Lyd. IV,83 (p. 134,8—20)	Plut. ep. III, 17
Ὅτι ὁ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ Ἡρακλείδης φασίν, ἡλίου τὰ πλεῖστα τῶν πνευμάτων κινοῦντος καὶ περιφέροντος καὶ τούτων ἐκβαλλόντων μὲν προωθουμένων δὲ ἀνοιδεῖν τὴν Ἀτλαντικὴν θάλασσαν καὶ παρασκευάζειν τὴν πλήμμυραν[1]), εἶτ᾽ αὖθις ληγόντων ἀντιπερισπωμένην ὑποβαίνειν καὶ οὕτω τὰς ἀμπώτεις γίνεσθαι.	Ἀριστοτέλης Ἡρακλείδης ὑπὸ τοῦ ἡλίου τὰ πλεῖστα τῶν πνευμάτων κινοῦντος καὶ συμπεριφέροντος· ὑφ᾽ ὧν ἐμβαλλόντων μὲν προωθουμένην ἀνοιδεῖν τὴν Ἀτλαντικὴν θάλασσαν καὶ κατασκευάζειν τὴν πλήμμυραν, καταληγόντων δ᾽ ἀντιπερισπωμένην ὑποβαίνειν, ὅπερ εἶναι τὴν ἄμπωτιν.
Πυθέας δὲ ὁ Μασσαλιώτης τῇ πληρώσει τῆς σελήνης τὰς πλημμύρας γίνεσθαι βούλεται, τῇ δὲ μειώσει τὰς ἀμπώτεις·	Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης τῇ πληρώσει τῆς σελήνης τὰς πλημμύρας γίνεσθαι, τῇ δὲ μειώσει τὰς ἀμπώτιδας.
τὸ αὐτὸ δὲ καὶ οἱ παρὰ Ῥωμαίοις φιλοσοφοῦντες, Πλάτων δὲ τὴν αἰώραν τῶν ὑδάτων αἰτιᾶται· εἶναι γὰρ φυσικήν τινα αἰώραν διά τινος στομίου τρήματος περιφέρουσ⟨αν παλίρροιαν⟩, ὑφ᾽ ἧς ἀντικυμαίνεσθαι τὰ πελάγη.	Πλάτων ἐπὶ τὴν αἰώραν φέρεται τῶν ὑδάτων· εἶναι γάρ τινα αἰώραν διά τινος [στομίου] τρήματος περιφέρουσαν παλίρροιαν, ὑφ᾽ ἧς ἀντικυμαίνεσθαι τὰ πελάγη.

Atque eadem ratio, quam inter haec utriusque commenti verba deprehendimus, intercedit inter Lydum IV,84 (p. 134,21) et Plutarchi epitomam V,8.1 et 2, nisi quod sententiarum ordo ab auctore in contrarium esse conversus et Stratonis nomen mutatum videtur in Platonis:

Lyd. IV,84 (p. 134,21)	Plut. ep. V, 8
Ὅτι ὁ Πλάτων[2]) κατὰ πρόσ-	2. Στράτων παρὰ πρόσ-

[1]) πλημμύραν Wuensch, sed cf. Passow, Hdwbch. d. griech. Spr. s. v.
[2]) vide supra p. 46.

θεσιν ἢ ἀφαίρεσιν ἢ μετάθεσιν ἢ πνευμάτωσιν συμβαίνειν λέγει τοὺς τερατώδεις τοκετούς, ὁ δὲ Ἐμπεδοκλῆς αὐτὴν τοῦ πνεύματος τὴν ἔλλειψιν ἢ ὑπερβολὴν αἰτιᾶται.	θεσιν ἢ ἀφαίρεσιν ἢ μετάθεσιν ἢ ἐμπνευμάτωσιν. 1. Ἐμπεδοκλῆς τέρατα γίνεσθαι παρὰ πλεονασμὸν σπέρματος ἢ παρ' ἔλλειψιν ἢ παρὰ τὴν τῆς κινήσεως ταραχὴν ἢ παρὰ τὴν εἰς πλείω διαίρεσιν ἢ παρὰ τὸ ἀπονεύειν.

Quibus Lydi locis cum ipsa Plutarchi epitoma comparatis nemo est quin nusquam hic Ioannem relationes e diversis auctoribus contaminasse, sed totas narrationes ex uno eodemque fonte desumpsisse concedat. Alios quoque locos Lydum ex eo hausisse videmus; nam eum philosophorum placita ex variis huius fontis locis arcessita in unum concentum redegisse plane confirmatur Lydi paragrapho III,12 (p. 53,6—54,10), ubi enumerat sententias eorum philosophorum, qui de lunae natura, inluminatione intervalloque a terra disputarunt; quae tota commentatio componitur ob eamque causam conferri licet cum capitibus e Plutarchi epitoma petitis, veluti II,25; II,28; II,31.3.

Lyd. III,12 (p. 53,6—13)	Plut. ep. II, 25: περὶ οὐσίας σελήνης.
Ἀναξιμένης[1]) τοίνυν κύκλον τὴν σελήνην εἶναι βούλεται ἐννεακαιδεκαπλασίονα τῆς γῆς, πλήρη πυρὸς ὥσπερ ⟨τὸν⟩ τοῦ ἡλίου,	Ἀναξίμανδρος κύκλον εἶναι ἐννεακαιδεκαπλασίονα τῆς γῆς, ὥσπερ ⟨τὸν⟩ τοῦ ἡλίου πλήρη πυρός· . . . .
Ξενοφάνης δὲ νέφος εἶναι πεπυρωμένον,	Ξενοφάνης νέφος εἶναι πεπιλημένον.

[1]) vide supra p. 46.

οἱ Στωικοὶ μικτὴν πυρὸς καὶ ἀέρος, Πλάτων ἐκ πλείονος τοῦ πυρώδους, Ἀναξαγόρας καὶ Δημόκριτος στερέωμα διάπυρον, ἔχον ἐν ἑαυτῷ πεδία καὶ ὄρη καὶ φάραγγας,
Ἡράκλειτος γῆν ὁμίχλῃ περιειλημμένην,
Πυθαγόρας γε μὴν πυροειδὲς σῶμα.

οἱ Στωικοὶ μικτὴν ἐκ πυρὸς καὶ ἀέρος. Πλάτων ἐκ πλείονος τοῦ πυρώδους. Ἀναξαγόρας Δημόκριτος στερέωμα διάπυρον ἔχον ἐν ἑαυτῷ πεδία καὶ ὄρη καὶ φάραγγας.
Ἡράκλειτος γῆν ὁμίχλῃ περιεχομένην.
Πυθαγόρας κατοπτροειδὲς σῶμα.

Lyd. III,12 (p. 53,13—54,7)

περὶ δὲ τοῦ κατ' αὐτὴν φωτὸς ἐροῦμεν, ὡς Ἀναξίμανδρος μὲν ἴδιον αὐτὴν φῶς ἔχειν βούλεται, ἀραιότερον δέ πως, ὁ δὲ Ἀντιφῶν ἰδίῳ μὲν φέγγει λάμπειν τὴν σελήνην φησί, τὸ δὲ ἀποκρυπτόμενον περὶ αὐτὴν ὑπὸ τῆς προσβολῆς τοῦ ἡλίου ἀμαυροῦσθαι, πεφυκότος τοῦ ἰσχυροτέρου φωτὸς τὸ ἀσθενέστερον ἀμαυροῦν, ὃ δὴ συμβαίνει καὶ περὶ τὰ ἄλλα ἄστρα.
Θαλῆς δὲ καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεσθαι τὴν σελήνην ἐνέκριναν,
ὅ γε μὴν Ἡράκλειτος τὸ αὐτὸ πεπονθέναι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην φησί· σκαφοειδεῖς γὰρ ὄντας τοῖς σχήμασιν ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως φωτίζεσθαι πρὸς τὴν φαντασίαν, λαμπρότερον δὲ τὸν

Plut. ep. II,28: περὶ φωτισμῶν σελήνης.

Ἀναξίμανδρος ἴδιον αὐτὴν ἔχειν φῶς, ἀραιότερον δέ πως.
Ἀντιφῶν ἰδίῳ φέγγει λάμπειν τὴν σελήνην, τὸ δὲ ἀποκρυπτόμενον περὶ αὐτὴν ὑπὸ τῆς προσβολῆς τοῦ ἡλίου ἀμαυροῦσθαι, πεφυκότος τοῦ ἰσχυροτέρου πυρὸς τὸ ἀσθενέστερον ἀμαυροῦν· ὃ δὴ συμβαίνειν καὶ περὶ τὰ ἄλλα ἄστρα.
Θαλῆς καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεσθαι τὴν σελήνην.
Ἡράκλειτος τὸ αὐτὸ πεπονθέναι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην. σκαφοειδεῖς γὰρ ὄντας τοῖς σχήμασι τοὺς ἀστέρας, δεχομένους τὰς ἀπὸ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως αὐγάς, φωτίζεσθαι πρὸς τὴν

ἥλιον διὰ τὸ ἐν καθαρῷ ἀέρι φαίνεσθαι.	φαντασίαν, λαμπρότερον μὲν τὸν ἥλιον, ἐν καθαρωτέρῳ γὰρ ἀέρι φέρεσθαι.
Lyd. III,12 (p. 54,7—10)	Plut. ep. II,31.3.
ἀφεστάναι δὲ λόγος ἀπὸ τῆς γῆς κατὰ τὸν Ἐρατοσθένην τὴν μὲν σελήνην σταδίων μυριάδας ἑβδομήκοντα ὀκτώ, τὸν δὲ ἥλιον τετρακοσίας καὶ ὀκτάκις μυρίας.	Ἐρατοσθένης τὸν ἥλιον ἀπέχειν ἀπὸ τῆς γῆς σταδίων μυριάδας τετρακοσίας καὶ ὀκτακισμυρίας, τὴν δὲ σελήνην ἀπέχειν τῆς γῆς μυριάδας ἑβδομήκοντα ὀκτὼ σταδίων.

Praeterea autem a Lydo quem adhuc ampliores explicationes ex hac epitoma haurientem deprehendimus, ex eadem parvi ambitus testimonia enarrationibus inserta esse nemo, ut opinor, negabit, qui inter se haece comparaverit:

Lyd. IV,40 (p. 97,26)	Plut. ep. I,3.11.
οὐ γὰρ ἀληθὴς ὁ λόγος ὁ κατὰ τὸν Ἀναξίμανδρον[1]), ὃς ἐκ τοῦ πυρὸς εἶναι τόδε τὸ πᾶν ἀπεφήνατο.	Ἡράκλειτος . . . . ἐκ πυρὸς τὰ πάντα γίνεσθαι.
Lyd. IV,63 (p. 114,10)	Plut. ep. III,10.1.
εἰ καὶ σφαιρικὴν οἱ Στωϊκοὶ ταύτην ὁρίζονται.	οἱ Στωικοὶ καὶ οἱ ἀπ' αὐτῶν σφαιροειδῆ τὴν γῆν.
Lyd. IV,135 (p. 162,5 sq.)	Plut. ep. V,2.
κατὰ τὸ δοκοῦν Ἡροφίλῳ, ὃς καὶ θεοπέμπτους ἐνέκρινε τοὺς ὀνείρους, ὁ δὲ Δημόκριτος κατὰ τὰς παραστάσεις τῶν εἰδώλων.	3. Ἡρόφιλος τῶν ὀνείρων τοὺς μὲν θεοπέμπτους κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι, 1. Δημόκριτος τοὺς ὀνείρους γίνεσθαι κατὰ τὰς τῶν εἰδώλων παραστάσεις.

[1]) vide supra p. 46.

Quaerenti vero cui debeat auctori Lydus haece placita, nemini dubium fore puto, quin omnia ex uno eodemque fonte fluxerint. Ex concentu autem quem inter Lydum III,12 et Plutarchi capita II,25; II,28; II,31 iam Schultzius[1]) animadvertebat, illa Lydiana verba e Plutarcho exscripta esse et ubicumque contextus differrent, Lydi epitomatores vel librarios culpam sustinere ille docuit. Inde autem reliqua omnia philosophorum placita e Plutarcho desumpta esse efficeretur, nisi huic opinioni obstarent difficultates. Nam haec placita quae sane Plutarchi nomen prae se ferunt et sub titulo: *περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις, φυσικῶν δογμάτων ἐπιτομή* ad nos pervenerunt, falso tributa Plutarcho et ex amplissimis Aëtii philosophi libris hausta compositaque esse Hermannus Diels egregie docuit.[2]) Quisnam vero fuerit ipse huius compendii philosophorum placita amplexi auctor quoque tempore per epitomam comprehensa sit doctrina Aëtiana, omnino adhuc obscurum est. Quam ad rem pernoscendam Lydus nihil affert, quippe qui auctoris nomen semper dissimulet. Nec minus difficile est ad diiudicandum, utrum Ioannes usus sit eadem quam nunc in manibus habemus Aëtii epitoma an alio eius exemplari; nam nonnulla sunt, quae hoc suadeant. Etenim inter utriusque scriptoris verba, etsi in universum ad verbum saepe conspirant, tamen nonnullae extant discrepantiae; Lydi exemplar permultis locis non modo non decurtatum, sed etiam uno [IV,83 (p. 134,16)] amplificatum est; quod utrum Lydus de suis addiderit an aliunde petiverit, in incerto nobis relinquendum est. Praeter ea autem non raro mutatam esse sententiarum seriem et tot contextus discrepantias inveniri videmus, ut nec Lydi nec eius librariorum culpa sola excusari possint. Quae omnia, praesertim cum Lydum anxie pressisse auctorum vestigia supra demonstraverimus, ita tantum explicabis, ut Lydum

---

[1]) l. c. p. 45.

[2]) Doxogr. gr. p. 48; praeterea inspicias R. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea I p. 154 sq.

hos locos quales nunc eos legimus iam in suo fonte invenisse et inde in libros transtulisse statuas. Itaque Joannem aliud illius epitomae exemplar (fortasse interpolatum) descripsisse equidem pro certo habeo.

2.

Ab hac quaestione non esse aliena videtur mihi alia; nam Lydum alius eiusmodi operis conlecticii vestigiis institisse censeo. Saepenumero nobis accidit, ut quantopere ille in placitis mathematicis se iactet ac glorietur in eorum notitia, videamus quaeramusque, unde hanc doctrinam petiverit, praesertim qui optimorum et antiquissimorum scriptorum nitatur auctoritate, veluti Philolai p. 9,5; p. 33,14; p. 34,1; p. 114,20 vel Parmenidis p. 8,25; p. 28,1 aliorumque.

Haec vero quaestio a Lydi paragrapho II,12 ordiri debet, in qua de septimi diei apud Aegyptios Chaldaeosque et Graecos consecratione locutus Ioannes suo more narrationem perducit ad septenarium numerum et affert omnia quaecumque ad huius numeri naturam pertinent exempla, explicans eius virtutem ac potestatem. Atque in hac quidem disputatione satis multi inveniuntur loci, qui cum locis e Philonis libro *de opificio mundi* depromptis comparari possint. Hi suut:

Lyd. II,12	Phil. l. c. § 95—126
p. 33,8—9 p. 33,15—34,3	§ 100 (p. 34,12—19), quae verba iam supra exscripta sunt (p. 29).
p. 34,9—16: *ἡ τοίνυν ἑβδομὰς συνέστηκεν ἐξ ἑνὸς καὶ δυοῖν καὶ τεττάρων, ἔχουσα*[1]) *δύο λόγους ἁρμονικωτάτους, τόν τε τριπλάσιον*[2]) *καὶ τὸν τετρα-*	§ 95 (p. 32,15—20): *αὐτίκα συνέστηκε τὰ ἑπτὰ ἐξ ἑνὸς καὶ δυοῖν καὶ τεττάρων ἐχόντων δύο λόγους ἁρμονικωτάτους, τόν τε διπλάσιον καὶ τετρα-*

[1]) *ἐχόντων Y*
[2]) *διπλάσιον Y*

πλάσιον. ἔχει δὲ καὶ διαιρέσεις ζυγάδην τρόπον τινὰ συνεστώσας·	πλάσιον, τὸν μὲν τὴν διὰ πασῶν συμφωνίαν, τὸν δὲ τετραπλάσιον τὴν δὶς διὰ πασῶν ἀποτελοῦντα. περιέχει δὲ καὶ διαιρέσεις ἄλλας ζυγάδην τρόπον τινὰ συνεστώσας ἑβδομάς·
διαιρεῖται γὰρ πρῶτον εἰς μονάδα καὶ ἑξάδα, ἔπειτα εἰς πεντάδα καὶ δυάδα, καὶ τελευταῖον εἰς τριάδα καὶ τετράδα· μουσικωτάτη δὲ ἡ τούτων τῶν ἀριθμῶν ἀναλογία.	διαιρεῖται γὰρ πρῶτον μὲν εἰς μονάδα καὶ ἑξάδα, ἔπειτα εἰς δυάδα καὶ πεντάδα, καὶ τελευταῖον εἰς τριάδα καὶ τετράδα. μουσικωτάτη δὲ καὶ ἡ τούτων ἀναλογία τῶν ἀριθμῶν·
p. 34,16—20: διατείνει δὲ αὐτῆς ἡ φύσις καὶ ἐπὶ τὴν ὁρατὴν ἅπασαν οὐσίαν, οὐρανὸν καὶ γῆν·	§ 111 (p. 39,14-20): διατείνει δ' αὐτῆς ἡ φύσις καὶ ἐπὶ τὴν ὁρατὴν ἅπασαν οὐσίαν, οὐρανὸν καὶ γῆν, τὰ πέρατα τοῦ παντός, φθάσασα. τί γὰρ οὐ φιλέβδομον τῶν ἐν τῷ κόσμῳ μέρος, ἔρωτι καὶ πόθῳ δαμασθὲν ἑβδομάδος;
αὐτίκα γοῦν οὐρανόν φασιν ἑπτὰ διεζῶσθαι κύκλοις, ὧν ὀνόματα τάδε· ἀρκτικὸς ἀνταρκτικὸς θερινὸς χειμερινὸς ἰσημερινὸς ζῳδιακὸς καὶ προσέτι γαλαξίας·	αὐτίκα τὸν οὐρανόν φασιν ἑπτὰ διεζῶσθαι κύκλοις, ὧν ὀνόματα εἶναι τάδε· ἀρκτικόν, ἀνταρκτικόν, θερινὸν τροπικόν, χειμερινὸν τροπικόν, ἰσημερινόν, ζῳδιακόν, καὶ προσέτι γαλαξίαν·
p. 34,21—35,2: ὅθεν τὰ κατὰ τὴν ἡμετέραν ψυχὴν διὰ τοῦ ἡγεμονικοῦ λόγου ἑπταχῆ σχίζεται, πρός τε πέντε αἰσθήσεις καὶ τὸ φωνητικὸν ὄργανον καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ γόνιμον.	§ 117 (p. 41,14—16): αὐτίκα τῆς ἡμετέρας ψυχῆς τὸ δίχα τοῦ ἡγεμονικοῦ μέρος ἑπταχῆ σχίζεται, εἰς πέντε αἰσθήσεις καὶ τὸ φωνητήριον ὄργανον καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ γόνιμον·
p. 35,2—5: καὶ τὸ πᾶν δὲ τοῦτο ἐν ἑπτὰ θεωρεῖται·	§ 120/21 (p. 42,5—9): ἑπτὰ γάρ ἐστι τὰ ὁρώμενα,

ἐν σώματι ἐν διαστάσει ἐν σχήματι ἐν μεγέθει ἐν χρώματι ἐν κινήσει ἐν στάσει· καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν ἕτερον συμβέβηκε τοῖς ὁρωμένοις· p. 35,9—11: ἑπτὰ δὲ καὶ φωνῶν μεταβολαί, ὀξεῖα βαρεῖα περισπωμένη σύμφθογγος ψιλή τε καὶ μακρὰ καὶ βραχεῖα.	σῶμα, διάστασις, σχῆμα, μέγεθος, χρῶμα, κίνησις, στάσις, καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν ἕτερον. συμβέβηκε μέντοι καὶ τὰς τῆς φωνῆς μεταβολὰς ἁπάσας ἑπτὰ εἶναι, τὴν ὀξεῖαν, τὴν βαρεῖαν, τὴν περισπωμένην, καὶ τέταρτον δασὺν φθόγγον καὶ ψιλὸν πέμπτον καὶ μακρὸν ἕκτον καὶ βραχὺν ἕβδομον.
p. 35,11—14: ἔνθεν καὶ τὰ ἑπτάμηνα βρέφη τελειογονεῖσθαι πέφυκεν, ὡς Ἱπποκράτης λέγει·[1]) ἡ γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ ψυχογονικὴ δύναμις τὰ ἑπτάμηνα τέλεια ἀποφαίνει.	§ 124 (p. 43,1): καὶ τὰ κατὰ γαστρὸς βρέφη μησὶν ἑπτὰ τελειογονεῖσθαι πέφυκεν, ὡς παραδοξότατόν τι συμβαίνειν· γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα.
p. 35,18—20: καὶ κινήσεις δὲ αἱ πᾶσαι μόναι εἰσὶν ἑπτά, ἥ τε ἄνω ἥ τε κάτω, ἡ ἐπιδέξια ἡ εὐώνυμα ἡ πρόσω ἡ κατόπιν ἡ ἐν κύκλῳ.	§ 122 (p. 42,9—10): ἀλλὰ γὰρ καὶ κινήσεις ἑπτὰ εἶναι συμβέβηκε, τὴν ἄνω, τὴν κάτω, τὴν ἐπὶ δεξιά, τὴν ἐπ᾿ εὐώνυμα, τὴν πρόσω, τὴν κατόπιν, τὴν ἐν κύκλῳ.
p. 35,20—36,5: στοιχείων δὲ τὰ φωνήεντα ἑπτά, ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἑαυτῶν ἔοικε φωνεῖσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις συνταττόμενα φωνὰς ἐνάρθρους ἀποτελεῖν·	§ 126 (p. 43,11—16): στοιχείων τε τῶν ἐν γραμματικῇ τὰ λεγόμενα φωνήεντα ἐτύμως ἑπτά ἐστιν, ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἑαυτῶν ἔοικε φωνεῖσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις συνταττόμενα φωνὰς ἐνάρθρους ἀποτελεῖν·

[1]) Hippocratis nomen omisit Y et hoc loco Philo ipse neglegit, sed brevi ante (p. 42,19) citatum invenitur; cf. Plut. ep. V,18. 4; Stob. ecl. I,42; Censor., de die nat. c. 7,6.

τῶν γὰρ ἡμιφώνων ἀναπληροῖ τὸ ἐνδέον, ὁλοκλήρους δὲ κατασκευάζει τοὺς φθόγγους, τῶν δὲ ἀφώνων τρέπει τε καὶ μεταβάλλει τὰς φύσεις, ἵνα γένηται τὰ ἄρρητα ῥητά.	*τῶν μὲν γὰρ ἡμιφώνων ἀναπληροῖ τὸ ἐνδέον ὁλοκλήρους κατασκευάζοντα τοὺς φθόγγους, τῶν δ' ἀφώνων τρέπει καὶ μεταβάλλει τὰς φύσεις ..., ἵνα γένηται τὰ ἄρρητα ῥητά.*

Quicumque hos Lydi locos cum Philonianis vocaverit in comparationem, facere non poterit, quin eos in universum plane inter se consentire intellegat et a Lydo ex hoc ipso libro desumptos esse suspicetur. Hanc enim sententiam primum pro certa habuit Leop. Cohn, recentissimus Philonis editor, deinde vero iure meritoque, ut mihi persuasi, retractavit hisce fere verbis usus[1]): „quod olim," inquit, „existimavi Lydum ibi Philonis librum compilasse, nunc praefracte contendere non ausim; nam consensus sic etiam explicari posse videtur, ut aut Lydus compendio mathematico usus sit eodem quod Philo adhibuerit aut scriptor compendii a Lydo compilati e Philonis libro hauserit".

Lydum igitur non inspexisse Philonis librum Cohnius recte suspicatus est, atque huic opinioni optime convenit, quod Philolai testimonium apud Lydum [II,12 (p. 33,13 sq.)] Philonemque [§ 100 (p. 34,12 sq.)] ex uno auctore ultimo fluxisse supra (p. 29 sq.) ostendimus. Iam vero id, quod Cohnius in incerto reliquit, utrum Lydus ipse compendio mathematico usus sit eodem quo Philo an alium scriptorem inspexerit, nobis diiudicandum est. Nonnulla autem inveniri equidem puto, quae ut Laurentius atque Philo ex uno eodemque fonte proximo simul hauserint dissuadeant. Atque primum quidem in hac ipsa commentatione Ioannem describendi consuetudinem secutum anxie institisse auctoris vestigiis adcurateque reddidisse eius doctrinam satis superque elucet ex illis locis inter se comparatis. Iam vero extat apud Lydum aliquis locus, ex quo quantopere com-

---

1) in proleg. ad vol. I p. LXX.

pilator a Philoniani auctoris doctrina discedat cognoscatur; in III,14 Lydus agit de tricenarii numeri natura, quam explicationem cum Philonianis verbis in libro II,5 *Quaestionum in Genesin* inscripto conferre licet. Hos autem Philonis libros etiamsi non Graecos servatos, sed in Armenium sermonem translatos ad manus nostras pervenisse dolendum est, tamen huic versioni Armeniae, quippe quae originali textui stricte accommodata sit,[1]) sine ulla dubitatione fidem habere possumus, idemque cadit in Latinam translationem ab Auchero factam.[2]) In utroque commento hoc scriptum videmus:

Lyd. III,14 (p. 55,10—14)

ὅτι ὁ τριάκοντα ἀριθμὸς φυσικώτατός ἐστιν, ὃ γὰρ ἐν μονάσι τριάς, τοῦτο ἐν δεκάσι τριακοντάς· ἐπεὶ καὶ ὁ τοῦ μηνὸς κύκλος συνέστηκεν ἐκ τεσσάρων τῶν ἀπὸ μονάδος ἑξῆς τετραγώνων, α' δ' θ' ις', ὅθεν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ Ἡράκλειτος γενεὰν τὸν μῆνα καλεῖ.

Phil. l. c. II,5

Triginta apprime naturale est; sicut enim in unitatis serie trinus est numerus ita in denariis triginta, idque lunae cyclus collectio singulorum mensium plena delineatione. secundo componitur ex quattuor continuatione unitatis horum quadrangulorum I. IV. IX. XVI triginta constituentibus. unde non gratis ac frustra Heraclitus generationem id vocavit.

Ad has tricenarii numeri explicationes, quae etsi non re, tamen verbis a Philonianis aperte discedunt, suo iure I. Bernaysius[3]) haec adnotat: „Aus der Vergleichung des Armenischen ergibt sich, daß der Excerptor erstlich *ἔπειτα*,

[1]) de hac Armenia versione Aucherus quod iudicium tulerit, scriptum legas apud Cohnium in proleg. ad vol. I p. LIII.

[2]) Aucherus ille doctissimus superioris saeculi initio hanc Armeniam translationem in linguam Latinam convertit.

[3]) I. Bernays, Ges. Abhandlungen vol. I p. 53 not. 1.

welches vor *συνέστηκεν* stand, in *ἐπεί* verändert, umgestellt und so die zweite Eigenschaft der Zahl Dreißig durcheinander gewirrt hat mit der ersten, wahrscheinlich weil er die Worte nicht verstand, welche auf *μηνὸς κύκλος* folgten und dem Satzteil ‘collectio singulorum mensium plena delineatione’ entsprachen. Sollten es vielleicht diese gewesen sein: *σύλλογος διχομήνων πλήρει σχήματι*? — Ferner fand er im Griechischen ‘*Ἡράκλειτος γενεὰν αὐτὴν καλεῖ* d. h. *τὴν τριακοντάδα*; er bezog es dagegen sinnlos auf das nächstvorhergehende und setzte daher *τὸν μῆνα*.“

Haec sunt Bernaysii verba, qui sine dubio recte demonstravit eum qui hunc locum excerpsit gravia commisisse vitia. Quod autem vir doctus Lydum ipsum in hac re offendisse suspicatur, hoc mihi videtur perperam docuisse. Nam si a Lydo ipso hunc locum ex Philonis fonte esse excerptum censeremus, quin hoc quoque loco certe Ioannes describendi rationem secutus eius verba paene pro verbis redditurus idemque ac Philo relaturus fuerit, in dubium vocare non possumus. Qua de causa Ioannem non ipsum ex Philonis auctore hausisse, sed ab alio pendere mihi quidem verisimile est.

Sed hoc quidem argumento sibi non persuaderi fortasse quispiam dixerit. Attamen gravis alia invenitur causa, qua demonstretur Lydi et Philonis placita, quamvis partim ad eundem auctorem ultimum recedant, nequaquam ex uno eodemque fonte proximo simul fluxisse; nam fontem a Lydo adhibitum post Philonis aetatem perfectum esse nemo, ut opinor, negabit, qui alios locos attente perlegerit. Lydus enim praeter narrationem de septenarii numeri natura in II,12 factam in secundi libri paragraphis 4—11 de aliis numeris agit, in 4 et 6 de primarii numeri rationibus, in 7 de secundarii, in 8 de ternarii, in 9 de quaternarii, in 10 de quinarii, in 11 de senarii, mathematicorum placita venditans. Quae omnia non modo ipsa argumenti affinitate cohaerent, sed etiam disputandi ratione atque disquisitionis indole, ut supra p. 7 demonstravimus, unum

eundemque fontem sapiunt. Atque haec sententia eo confirmatur, quod in II,9 (p. 30,8 sq.) Lydus de numero quaternario similia narrat atque Philo *de opif. mundi* § 51 (p. 16,16—17,2) et § 47 (p. 15,11), ut ex hoc cognosces:

Lyd. II,9 (p. 30,8)	Phil. l. c. § 51 (p. 16,16—17,2)
περὶ δὲ τοῦ κατ' ἀριθμὸν ἀξιώματος ὁ τέταρτος ἀριθμὸς τετράγωνός ἐστι. μόνος γὰρ ἰσάκις ἴσος ἰσομερὴς ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ συνθέσει καὶ δυνάμει πέφυκε γεννᾶσθαι, σύνθεσιν μὲν οὖν ἐκ δυεῖν καὶ δυεῖν, δύναμιν δὲ ἐκ τοῦ δὶς δύο, πάγκαλόν τι συμφωνίας εἶδος ἐπιδεικνύμενος, ὃ μηδενὶ τῶν ἄλλων ἀριθμῶν συμβέβηκεν, ὅθεν καὶ ἀποτελεσματικὸς καλεῖται·	*πρὸς δὲ τούτοις οὐδ' ἐκεῖνο ἀγνοητέον, ὅτι πρῶτος ἀριθμῶν ὁ τέτταρα τετράγωνός ἐστιν ἰσάκις ἴσος, μέτρον δικαιοσύνης καὶ ἰσότητος, καὶ ὅτι μόνος ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ συνθέσει καὶ δυνάμει πέφυκε γεννᾶσθαι, συνθέσει μὲν ἐκ δυοῖν καὶ δυοῖν, δυνάμει δὲ πάλιν ἐκ τοῦ δὶς δύο, πάγκαλόν τι συμφωνίας εἶδος ἐπιδεικνύμενος, ὃ μηδενὶ τῶν ἄλλων ἀριθμῶν συμβέβηκεν·*
εἰ γὰρ ἀπὸ μονάδος μέχρι[1] *τετράδος ἑξῆς συντεθεῖεν ἀριθμοί, δεκάδα ἀποτελοῦσιν.*	Phil. l. c. § 47 (p. 15,11) *εἰ γοῦν οἱ ἀπὸ μονάδος ἄχρι τετράδος ἑξῆς συντεθεῖεν ἀριθμοί, δεκάδα γεννήσουσιν.*

Lydi igitur auctor, ut praecipue ex his locis perspici potest, corrasit suisque rationibus disposuit omnia quaecumque ad singulorum numerorum naturam pertinebant philosophorum potissimum testimonia afferre non aspernatus. Sic inter ea etiam hoc exemplum Lydus repperit, quod in II,8, ubi ternarii numeri virtutem potestatemque explicat, in usum convertit haec docens p. 26,6: *τρία δὲ καὶ νοῦ εἴδη Ἀριστοτέλης παραδίδωσι, τὸν ὑλικόν, τὸν καθ' ἕξιν, τὸν θύραθεν*; Aristotelem igitur *τὸν νοῦν* in tres partes di-

---

1) *ἄχρι* Y

visisse exponit.[1]) Id autem non Aristotelis placitum erat; nam eum duas tantum partes, τὸν νοῦν τὸν παθητικὸν καὶ τὸ ποιοῦν[2]) dico, distinxisse inter omnes constat. Hanc τοῦ νοῦ in tres partes divisionem excultam esse ab Alexandro Aphrodisiensi, qui tertio p. Chr. n. saeculo Aristotelis doctrinam sibi interpretandam proposuit ob eamque causam persaepe honestissimo cognomine ὁ τοῦ Ἀριστοτέλους ἐξηγητής ornatus esse dicitur, ex posterorum testimoniis facile intellegitur.[3]) Quod si pro vero certoque sumpseris, concedes sine dubio hoc compendium, quippe quod hoc Alexandri, non Aristotelis placitum continuerit, post Alexandri Aphrodisiensis tempora, id est post tertium saeculum compositum esse ab homine quodam mathematico, qui Philoniani quoque auctoris libros ita excerpsit, ut Lydus et Philo partim ad unum eundemque fontem ultimum redeant. Quin etiam fortasse quispiam ad eam sententiam processerit, ut huius compendii auctorem fuisse philosophum aliquem Neoplatonicum censeat, praesertim cum hos multum in eiusmodi quaestionibus versatos esse constet; praeterea autem Lydus in his Proclum bis nominatim laudat [II,6 (p. 23,10)[4]) et II,8 (p. 27,19)]. Nihilo setius autem certo iudicio abstinere praestat; nam facile fieri poterat, ut Lydus ipse haec testimonia adderet, atque quantam doctrinae copiam in hoc compendium ille mathematicus cumulaverit, evincere non possumus, quoniam Lydus eius placita multiplici doctrina undique arrepta locupletavit.

Plura exponere quae ad hunc Lydi fontem adcuratius

---

[1]) hunc locum breviter tetigit iam I. Fr. Schultze l. c. p. 45.

[2]) sic scribendum est; nam vocabulum τοῦ νοῦ τοῦ ποιητικοῦ nondum invenitur apud Aristotelem ipsum, sed a posteris tritum est; cf. Bonitz, ind. Aristot. p. 491b 3; Zeller, Philos. der Griechen II,2 [3] p. 570 not. 4.

[3]) cf. Zeller, l. c. III,1 [3] p. 797 not. 2.

[4]) ille Proclianus versus qui hoc loco extat videtur desumptus esse ex Procli hymno ad Ἥλιον.

cognoscendum faciant, non meum esse puto; nam satis id demonstrasse mihi videor, quod demonstraturus eram. Praeter hos vero locos in aliis quoque partibus Lydiani scripti ab Ioanne huius compendii vestigia pressa esse is qui Lydi libros percurrerit sine dubio concedet. Laurentius enim eadem disputandi ratione usus et eosdem quos in II,$_{4-12}$ auctores citans agit in I,$_{15}$ de decade, testibus adhibitis Parmenide (p. 8,$_{25}$), Philolao (p. 9,$_{5}$), Orpheo (p. 9,$_{6}$), atque de eodem numero in III,$_{4}$ teste natura (p. 38,$_{23}$); qua in paragrapho compilatorem cum Philone *de opif. mundi* § 47 (p. 15,$_{12}$) concinentem deprehendimus:

Lyd. III,$_{4}$ (p. 38,$_{18}$)	Phil. l. c. § 47 (p. 15,$_{12}$)
περὶ αὐτὴν (i. e. *δεκάδα*) *γὰρ εἱλούμενοι καὶ κατακάμπτοντες ὥσπερ καμπτῆρα δολιχεύουσιν οἱ ἀριθμοί. ὅρος γάρ ἐστι τῆς ἀπειρίας αὐτῶν,*	*ἥτις* (i. e. *δεκάς*) *ὅρος τῆς ἀπειρίας τῶν ἀριθμῶν ἐστι, περὶ ὃν ὡς καμπτῆρα εἱλοῦνται καὶ ἀνακάμπτουσι,*

porroque in I,$_{17}$ (p. 9,$_{17}$—10,$_{9}$) de dodecade testibus Socrate in Phaedro (p. 9,$_{17}$), Platone (p. 9,$_{20}$), mathematicis (p. 10,$_{4}$); in IV,$_{64}$ (p. 114,$_{17-24}$) et IV,$_{97}$ (p. 139,$_{19-21}$) de dyade testibus Philolao (p. 114,$_{20}$), Pythagoreis (p. 139,$_{19}$); in III,$_{9}$ (p. 43,$_{1}$) de septenario numero testibus Pythagoreis (p. 43,$_{4}$) et verba p. 43,$_{2}$ iam in II,$_{12}$ (p. 33,$_{14}$) inveniuntur; in IV,$_{122}$ (p. 159,$_{5-8}$) de ennade Porphyrio teste (p. 159,$_{7}$). Quae quin omnia placita non solum ipso argumento, sed etiam eadem disquisitionis indole, quam in II,$_{4-12}$ cognovimus, unum eundemque fontem redoleant, haud facile quisquam in dubitationem vocabit.

3.

Iam vero quod Lydum his mathematicis disputationibus persaepe immiscuisse multifariam doctrinam aliunde arreptam videmus, ab hac tractationis parte ad alteram traducimur. Nam Lydianae de numeris expositiones in

tractatus vel magnos vel parvos de diversorum deorum dearumque natura atque indole plerumque excurrunt. Praeterea vero alia quoque quae ad idem argumentum spectant reperiuntur excerpta; supra enim iam exposuimus morem fuisse Ioanni, ut in singulorum mensium tractatione de numinum natura fuse exponeret [cf. IV,1+2 de Iano deo; IV,25 de Februa dea; IV,34 de Marte deo; IV,64 de Venere dea; IV,76 de Maia dea, a quibus deis hi singuli menses nomina acceperunt]; inde autem a Maio mense quod huius generis argumenta rarescunt, valde dolendum est. Etenim Lydus, prouti auctor quem ipsum his locis adhibuit huius vel illius dei mentionem faciebat, placita de eo in explanationem recepit, veluti in IV,80 de Mercurio; in IV,86 de Vulcano; in IV,94 de Vesta; in IV,117 de Pane; in IV,137 de Plutone; in IV,149 de eodem et Proserpina et Vesta; in IV,154 de Saturno; in IV,159 de eodem et in IV,160 de Dionyso. Denique eum aliis quoque locis placitorum de dis vestigia pressisse cognoscas ex hac tabula: I,21 de Venere; II,2 de Diana; III,8 de Hecata; III,9 de Cerere; III,15 de Saturno; III,21 de Pane; IV,3 de Iove; IV,4 de Apolline; IV,17 de Dioscuridibus; IV,21 de Iunone; IV,22 de Minerva; IV,45 de Iside; IV,51 de Dionyso; IV,53 de Hebraeorum deo; IV,63 de Cerere et Cybele; IV,71 de Iove et Saturno.

Atque iam ut ad ipsam fontis Lydiani investigationem accedamus, Ioanni multa quae compilaret subsidia suppeditare poterant, praesertim cum hoc ipsum argumentum omnis aetatis scriptoribus in deliciis esset. Attamen quin haec omnia placita, etsi longe lateque per totum fere opus dispersa sunt, ex uno fonte fluxerint, omnino, ut opinor, nequit dubitari; nam singula testimonia non modo ipsa argumenti affinitate in vicem se tuentur, sed etiam disquisitionis indolisque similitudine adeo cohaerent, ut alia ex aliis pendeant, porroque tantum inter singulos locos in dis interpretandis et in allegorica fabularum explanatione consensum deprehendimus, ut ex uno tantummodo fonte

hanc doctrinam depromptam esse pateat. Etenim multos deos, veluti Apollinem, Liberum, Iovem aliosque ad solem, et deas, sicut Cererem, Vestam, Maiam ad terram, sive ut Iunonem, Venerem ad lunam omnes aeque referendos esse docemur. Deinde vero mirum est, quod Ioannes semper fere nititur eorundem testium auctoritate, Orphei, Porphyrii, Iamblichi, Procli, et in distinguendis physicorum et mythicorum sententiis adcurate versatur [cf. IV,21; IV,34; IV,64; IV,159]; denique astrologiam et deos quoque exterarum nationum maximeque orientalium respicit. Haec omnia autem ad solam Neoplatonicorum doctrinam optime quadrare quis neget?

Quod vero ad ipsam de Lydi auctore quaestionem attinet, Georgius Wissowa[1]) ratiocinationis viam recte indicavit animadvertens concentum, qui inter Lydum et Macrobii Saturnaliorum librum I 17—23 intercedit. Haec autem Macrobii capita ille ex Iamblichi *περὶ θεῶν* libro, quem potissimum eiusmodi placita excoluisse constat,[2]) Romano aliquo auctore intercedente fluxisse demonstravit,[3]) qua in opinione cum alii tum Kiessling,[4]) Zeller,[5]) Kahl[6]) ei assensi sunt. Sed Ludovicus Traube[7]) vehementer oblocutus ultimum Macrobii fontem fuisse Porphyrii librum *περὶ ἀγαλμάτων*, cuius doctrinam Iamblichus in libro *περὶ ἀγαλμάτων* praeberet, proximum vero Macrobii auctorem fuisse Fonteium in libro *περὶ ἀγαλμάτων* contendit. Iure autem hanc Traubii sententiam a viris doctis refutatam esse censeo; sic enim iudicat Stanglius[8]) de hac re: „Der

---

1) in diss. p. 42.

2) cf. Zeller, Philosophie der Griechen III,2³ p. 697.

3) Wissowa l. c. p. 35 sq.

4) Deutsche Litt. Zeitung II (1881) No. 24 p. 966 sq.

5) Zeller l. c. III,2³ p. 683 not., ubi pristinam retractavit sententiam in l. c. III,2² p. 775 not. prolatam; cf. Börtzler l. c. p. 48.

6) in Philologi vol. suppl. V p. 727.

7) l. c. p. 24 sq.

8) Wochenschrift für klass. Philologie I (1884) No. 4 p. 110.

einzige Gewinn ist die Erweiterung des Stammes nach oben durch Heranziehung des Porphyrius περὶ ἀγαλμάτων, die gewiss auch Wissowa annehmen wird, ebenso gewiss, als er die Umsetzung von Jamblichos περὶ θεῶν in περὶ ἀγαλμάτων und die Einführung des Fontejus als unerwiesen ablehnen muss," atque simile fere iudicium pronuntiat Börtzlerus[1]) sic locutus: „Bei seiner Opposition gegen Wissowa ist Traube entschieden im Unrecht." Quae cum ita sint, mihi dubium esse non videtur quin Georgii Wissowa argumentatio a Traubio non labefacta sententiaque certa sit.

Atque concentum quidem quem inter Lydum Macrobiumque Wissowa detexit ille hoc modo expedire conatus est[2]): „qui," inquit, „utrum eodem atque ille auctore usus sit an Iamblichi de diis placita a recentiore quodam Neoplatonico (fortasse a Proclo) acceperit dubius haesito." Contra autem Traube[3]), qui eandem quaestionem paucis verbis tetigit, Lydum et Macrobium, utpote qui et Labeonem et Iamblichum usurpaverint, ex eodem auctore pendere et compilasse Fonteii librum περὶ ἀγαλμάτων, praesertim quem Lydus ipse citet [IV,2 (p. 65,4)], opinatus est. Quarum sententiarum altera, Traubianam dico, reicienda, altera adcuratius examinanda est; nam cum Traubii de Macrobii auctore opinionem a viris doctis refutatam esse ostenderimus, ille inter duos compilatores consensus suadet, ut id quod de Lydi auctore ille sentit repudiemus. Huc vero accedit, quod ex ea qua inducitur Fonteius [IV,2 (p. 65,4)] ratione sola Lydum non inspexisse eius librum coniectari potest.

Iam vero quaestionem de Lydiano auctore instituturi Lydi et Macrobii de dis placita, ut quae inter ea intercedat ratio cognoscamus, inter sese diligenter conferamus, pro-

---

1) l. c. p. 49 not. 1.
2) l. c. p. 42.
3) l. c. p. 37.

fecti a Lydi verbis II,12 (p. 33,12): *Ἀπόλλωνα δὲ μυστικῶς τὸν ἕνα λέγεσθαι προειρήκαμεν διὰ τὸ ἄπωθεν εἶναι τῶν πολλῶν, τουτέστι μόνον*, quae procul dubio spectant ad II,4 (p. 21,18), ubi monadem ad Apollinem i. e. ad unum solem qui Apollo vocetur referri Lydus docet; idem vero Macrobius profert in Sat. libr. I 17,7;

Lyd. II,4 (p. 21,18)
ἀναφέρεται δὲ ἡ μονὰς εἰς Ἀπόλλωνα, τουτέστιν εἰς τὸν ἕνα Ἥλιον, ὃς Ἀπόλλων λέγεται διὰ τὸ ἄπωθεν εἶναι τῶν πολλῶν. καὶ Ῥωμαῖοι δὲ αὐτὸν Σόλεμ ἤτοι μόνον λέγουσι.

Macrob. I 17,7
Apollinem .... *ἢ ὅτι μόνος ἐστὶ καὶ οὐχὶ πολλοί*, nam et Latinitas eum, quia tantam claritudinem solus optinuit, solem vocavit.

Utriusque igitur verba adcurate inter se concinunt; eodem autem modo quo Lydus Macrobiusque Iulianus imperator[1]) in oratione quarta p. 144B Apollinem ad solem refert. Atque ab his scriptoribus aliorum quoque deorum relationem ad solem non alienam esse ex hoc indice conligi potest:

	Lydus	Macrobius	Iulianus
Aesculapius	IV,45 (p. 101,16)	I 20,1—5	p. 144B
Hercules	IV,67 (p. 120,8)	I 20,10	
Horus	II,5 (p. 22,2)	I 21,13	p. 148D
	IV,3 (p. 67,3)		
Iuppiter	III,10 (p. 47,8)	I 23,1	p. 149B et al.
	IV,3 (p. 67,10) et al.		
		I 17,1	
Liber	IV,51 (p. 106,17)	I 18,7	p. 144A et al.
		I 18,11	
Osiris	II,5 (p. 22,2)	I 21,11	

[1]) de Iuliani Macrobiique ratione cf. G. Wissowa in diss. p. 39.

Itaque Macrobii auctor summo iure dixit in Sat. l. I 17,1 'solem modo Apollinem modo Liberum modo sub aliarum appellationum varietate nos venerari', quae verba apud Lydum in II,5 (p. 22,1—4) hisce versibus expressa repe-riuntur:

Πολλαῖς ὀνομασίαις καλεῖται ὁ Ἥλιος·
Ἥλιος Ὧρος Ὄσιρις Ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων
ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης ἀνέμων τε καὶ ὄμβρων
ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρος ἡνία νεύων.[1])

Porro autem Lydus pariter ac Macrobius non solum deos ad solem, sed nonnullas quoque deas ad terram refert:

	Lydus	Macrobius
Cybele	IV,63 (p. 114,9)	I 21,8
Isis	IV,45 (p. 101,20)	I 21,11
Maia	IV,80 (132,20)	I 12,20
Vesta	IV,94 (p. 138,19; p. 139,6)	I 23,8

---

[1]) eosdem fere versus Eusebius quoque habet in praep. ev. III 15,3, ubi est:

Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, ἄναξ Διὸς υἱὸς, Ἀπόλλων,
ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων τε καὶ ὄμβρων,
ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρου ἡνία νωμῶν,
ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς ἠδ᾽ ἀθάνατον πῦρ,

quorum versuum similitudo tanta est, ut ad eundem auctorem recedere videantur; de ratione inter Eusebium Lydumque inter-cedente vide supra p. 40 sq.

Denique ambo compilatores alias deas vel ad lunam, ut ex hoc elucet:

	Lydus	Macrobius
Venus	IV,22 (p. 81,7)	III 8,3
Iuno	IV,42 (p. 98,23) et al.	I 15,20

vel ad aërem, ut ex Lydi loco IV,25 (p. 84,3) cum Macrobianis I 15,20 et I 17,54 comparato intelleges, secum convenientes referunt.

His igitur locis de omnibus fere quos Lydus affert dis interpretandis ei cum Macrobio adeo convenire videmus, ut utrumque ex eodem auctore pendere statuamus; atque quod Iamblichum huic deorum indagationi enixe operam navasse constat, haec placita theologica ex eius libris fluxisse mihi satis probabile est. Cui rei documento est, quod his ipsis locis qui hanc deorum interpretationem praebent Iamblichi sententiam Lydus omnium rectissimam dicit [IV,159 (p.175,11)] et compluriens eius auctoritate se tuetur [cf. IV,6 (p. 69,23); IV,25 (p. 83,14) + (p. 84,1); IV,53 (p. 110,22)].

Macrobio autem, utpote qui non pauca additamenta neque apud Iamblichum reperire neque aliunde addere posset, Iamblichi placita in Latinum sermonem conversa et additamentis aucta a scriptore aliquo Romano suppeditata exceptisque his capitibus 17—23 in aliis quoque [I 8,4—12; I 9; I 12,20—29] eius vestigia pressa esse Georgius Wissowa egregie demonstravit[1]). Iam vero nonnulla insunt in his quoque Lydianis disputationibus, quae ut ab Ioanne auctor Romanus compilatus sit suadeant. Id enim non modo ex eo concludi potest, quod Lydus persaepe Romanorum antiquitates divinas ritusque respicit, sed etiam quod multo plures Latinos quam Graecos auctores in testimonium vocat; praeterea autem, quod ei Romanorum iudicium

[1]) l. c. p. 40 sq.

nonnumquam maximi momenti est [cf. IV,94 (p. 139,5)] et occasione data deorum nominum etymologias Latinas disputationi admiscet [cf. IV,34 (p. 91,25); IV,51 (p. 106,16)].

Quae cum ita sint, iam quaeritur, utrum Lydus eodem ac Macrobius auctore Latino usus sit an haec placita ab alio acceperit. Qua in quaestione expedienda mirum est, quod nihil fere eorum quae a Macrobii auctore addita esse Wissowa[1]) indicat Lydus affert. Praeterea autem in aliis disputationum partibus, etiamsi Lydus nonnulla Macrobio similia referre videatur [cf. Lyd. I,1 (p. 1, 1—4) = Macrob. Sat. l. I 8,10; IV,51 (p. 106,16) = Macrob. Sat. l. I 18,16; IV,51 (p. 106,21) = Macrob. I 8,11; IV,51 (p. 108,19) = Macrob. I 18,15; IV,80 (p. 132,12) = Macrob. I 12,20; IV,154 (p. 170,21) vel III,15 (p. 55,20) = Macrob. I 8,7; IV,1+2 (p. 63,8—66,15) = Macrob. I 9], tantae sunt dissimilitudines, ut utrumque commentum nequaquam ex uno eodemque fonte proximo fluxisse sumamus, quamvis partim ad eundem auctorem ultimum redeat. Atque primum quidem hi duo scriptores inter se discrepant, quod Lydus Cererem deam ad terram, Macrobius ad lunam refert [cf. Lyd. III,9 (p. 42,15) vel IV,63 (p. 114,6) cum Macrob. Sat. l. I 18,23]. Porro autem Lydi auctor plura quam Macrobii rettulisse videtur ex Iamblichi libris; nam Laurentius ab Iamblicho Plutonem ad solem, Proserpinam ad lunam relatos esse in IV,149 (p. 168,1) testatur[2]); id quod Macrobius neglexit. Idem vero evinci potest, si eos locos quibus uterque de Mercurii atque Maiae indole loquitur examini subicimus:

Lyd. IV,80 (p. 132,11)	Macrob. I 12,20
Νουμήνιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος τὸν Ἑρμῆν τὸν προχωρητικὸν λόγον εἶναι βούλεται· οὐδὲ γάρ, φησι, πρότερον βρέφος	adfirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res divina

[1]) l. c. p. 41.

[2]) cf. Porphyrium apud Eusebium in praep. ev. III 11,9: *Πλούτων ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν ἥλιος* [cf. praeterea III 11,28].

φθέγξαιτο, πρὶν ἂν τῆς γῆς ἐφάψαιτο, ὥστε Μαῖαν εἰς γῆν καλῶς ἐξελάμβανον οἱ πολλοί. καὶ καθ᾽ ἕτερον δὲ ἱερὸν λόγον ὁ Φοντήϊος χρῆναι τιμᾶσθαι τὴν γῆν ἐν ταῖς Καλένδαις Μαΐαις λέγει, ὅτι τὴν ἔμφυτον θέρμην ἐπὶ τὴν ἐπιφάνειαν ἡ γῆ ἀναβράζουσα γαυριᾶν ὥσπερ καὶ σκιρτᾶν ἐξαγομένη σάλους ἐμποιεῖ ὡς ἐπίπαν κατὰ τὸν Μάϊον μῆνα. τιμῶσιν οὖν κατὰ τοῦτον τὴν Μαῖαν, τουτέστι τὴν γῆν θεραπεύοντες.

celebratur, terram esse hoc adeptam nomen a magnitudine, sicut et Mater Magna in sacris vocatur, adsertionemque aestimationis suae etiam hinc colligunt quod sus praegnans ei mactatur, quae hostia propria est terrae. et Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur: scimus autem Mercurium vocis et sermonis potentem. auctor est Cornelius Labeo huic Maiae, id est terrae, aedem Kalendis Maiis dedicatam.

Nonnullae horum locorum explicationes inter se consentiunt, sed et nomina auctorum citatorum et nonnulla placita tam diversa sunt, ut eiusdem tractatus apographa esse nequeant, etiamsi aperte unius eiusdemque Latini auctoris ultimi vestigia prae se ferant. Quis vero est ille scriptor Romanus, cuius doctrinam Lydus venditat? Qua in re diiudicanda quod omnes fere viri docti inter se concordant, valde gaudeo. Etenim postquam Georgius Wissowa [1]), ante quem iam I. Fr. Schultze [2]) obiter breviterque huius rei mentionem fecit, ad eam quae est inter Lydi et Macrobii disputationes theologicas similitudinem hominum doctorum animos attendit, Kahlius [3]) adcuratam de hoc concentu disquisitionem ad hunc iustum finem

---

1) l. c. p. 42.
2) l. c. p. 39.
3) in Philologi vol. suppl. V p. 740 sq.

perduxit, ut Lydum Cornelii Labeonis[1]) vestigia secutum esse eiusque doctrinam ex aliquo conlectaneo *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* inscripto petivisse doceret[2]). Littius[3]) autem, qui eandem fere quaestionem nuperrime tetigit, ad eam opinionem progressus est, ut Lydi auctorem fuisse ipsum Labeonem in fastorum libris conaretur comprobare, inprimis nisus in concentu[4]), quem Kahlius inter Lydi et Macrobii de Iani natura digressionem deprehendit [cf. Lyd. IV,1 + 2 cum Macrob. Sat. l. I 9,1—16]. Aperte autem Littium id effugit, quod ad hunc, qui, ut Littius[5]) vult, ad res minutas et auctores citatos pertinet, consensum iam Agahdius[6]) adnotat: „Tres illi auctores [sc. Macrob., Lyd., Arnob.] quamquam nonnihil inter se congruunt, tamen et verbis et serie sententiarum dissentiunt, ut ne unus quidem ipsum Labeonem inspexisse videatur.“ Mihi autem Agahdius, quem omnino recte iudicasse mihi persuasi, argumenta quibus haec opinio confirmari potest non plane exhausisse videtur. In hoc enim tanto concentu is qui attente rem inspexerit eas deteget discrepantias, quibus Lydum Macrobiumque nequaquam ex uno auctore proximo hausisse demonstretur. Atque primum quidem duos in auctorum citatorum nominibus (id quod Littio grave est argumentum) plane inter se discrepare videmus. Lydus enim in IV,2 (p. 65,5) duodecim aras habere Iani templum secundum mensium numerum referens F o n t e i i auctoritate, Macrobius autem in Sat. l. I 9,16 V a r r o n i s se tuetur: Ioannes p. 65,16 Ianum esse solem demonstrans L u t a t i u m, Macrobius I 9,9 q u o s d a m laudat testes; contrarium ipsum

---

[1]) omnes fere viros doctos qui de Cornelii Labeonis aetate disputarunt enumerat C. Wachsmuth, proleg. ed. de ost.[2] p. XXIX.

[2]) Kahl l. c. p. 804.

[3]) Littius, de Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, diss. Bonn. 1904 p. 21 sq.

[4]) l. c. p. 23.

[5]) l. c. p. 23 not. 1.

[6]) R. Agahd l. c. p. 118.

cadit in Lydum p. 66,4 et Macrobium I 9,3, ubi Lydus: „ἄλλος δέ φησι," Macrobius autem: „Xenon primo Italicon" testes advocant idem fere proferentes; Ianum autem praeterita scire et futura providere ob eamque causam bifrontem dici Lydus p. 66,13 Dione, Macrobius quibusdam testibus narrat I 9,4. Deinde vero Lydus plura quam Macrobius habet; sic Ioannes duo Iani cognomina affert, quae Macrobius neglegit: p. 63,14 *Κλούσιον* et *Κουριάτιον*, quorum alterum nobis occurrit apud Ovidium in Fast. l. I 130, alterum apud Festum p. 297 (s. v. sororium tigillum) et Dion. Hal. III 46,9. Porro Macrobius plane omittit Varronis testimonium apud Lyd. p. 64,18; Praetextati pontificis p. 65,20; Demophili p. 66,7; Ovidii p. 66,11. Postremo autem valde mirandum est, quod Lydus nominis Iani etymologias quas Macrobius in Sat. I 9, 7. 8. 11 cumulat silentio praetermittit, sed potius tres alias a Graecis excogitatas affert, quarum prima in Etym. Gud. p. 269,17, altera in Etym. Magn. p. 177,54 cum Callimachi versu coniuncta et in Etym. Gud. p. 246,8 extat[1]; in tertia autem nititur Ioannes Pythagoreorum auctoritate, quibuscum Labeo nullam habebat necessitudinem.[2] Itaque manifestum est Labeonem non attulisse has etymologias, quas Lydus ex opere conlecticio etymologico hausisse videtur.[3] Sed ut eas in medium proferret, eo permotus est, quod in suo fonte Ianum esse aevum Messala teste repperit.[4] Macrobii autem auctor ut idem exprimeret, non voce *αἰῶνος* [cf. Lyd. IV,1 (p. 64,12)], sed his verbis [cf. Sat. l. I 9,14] usus est: *„qui cuncta fingit eademque regit."* Quo verborum dissensu commotus Labeonem *αἰῶνος* vocem, qua gnosticos

---

[1]) de ratione inter Lydi libros et Etymologicum Gudianum intercedente cf. Reitzenstein, Gesch. der griech. Etymologika, (Lips. 1897) p. 100.

[2]) cf. Kahl l. c. p. 731.

[3]) cf. Kahl l. c. p. 730.

[4]) de hac re videas Reitzenstein, Poimandres (Lips. 1904) p. 274 sq.

mundi opificem significavisse notum est, nondum adhibuisse Kahlius[1]) non inepte opinatus est; at vero Lydi auctor hoc vocabulum iam cognovit.

Quibus omnibus de causis satis mihi probari videtur Lydum Macrobiumque neque ipsum Labeonem inspexisse[2]) neque totam de Iano deo expositionem ex uno eodemque fonte proximo deprompsisse. Huc accedit, quod tam amplas disputationes mythologicas, ut Kahlius vult, e fonte ad fastos pertinente fluxisse parum veri simile est; nam primum eiusmodi digressiones minime cohaerent cum ipsa fastorum historia; deinde in tractandis singulis mensibus, unde atque quo modo nomina acceperint, atque quid in eis observaverint Romani, e fastorum fonte se desumpsisse Lydus ipse indicat [II,$_1$ (p. 18,$_4$)].

Reliquos autem de deis locos ex eodem fonte, cui debet Lydus de Iano fabulas, delibatos esse id quod supra p. 63 monuimus docet. Inter quos locos permagni momenti est ad Lydi fontem detegendum ille, quo narrationem de Saturno deo praebet [IV,$_{154}$]. Hic enim nonnullos Lydus laudat scriptores, qui de Saturno fabulas enarrant. Quo in scriptorum indice citat nominatim ultimo loco Proclum, id aetatis praestantissimum ex philosophis Neoplatonicis, his verbis usus (p. 171,$_7$): *αὐτοῖς γὰρ τοῖς τοῦ μεγάλου Πρόκλου χρησόμεθα ῥήμασι*, atque eius verba adcurate reddit. Hae ipsae autem magnae voces quibus illum in testimonium vocat Lydum ei permultum debere ostendunt [cf. praeterea, quod de eo dicit in libris *de mag.* III,$_{26}$ (p. 113,$_{15}$ W.)]. Porro vero saepius eum testantem inducit eis ipsis locis, quibus affert de dis placita: IV,$_{53}$ (p. 110,$_{23}$); IV,$_{76}$ (p. 128,$_4$); ubi eius testimonium verbotenus textui inserit eumque, utpote qui Lydo aetate proximus sit, omnium Neoplatonicorum recentissimum advocat.

Quae cum ita sint, citandi legem supra constitutam

---

1) l. c. p. 745.
2) cf. Wissowa, Realencycl. IV p. 1353.

secutus non dubito, quin Lydus ab hoc Neoplatonico, quippe cuius opinionem pro rectissima habeat, illa de dis placita acceperit. Et mirum quantum huic opinioni convenit, quod Proclum in his disputationibus explicandis versatum esse non modo illi Lydi loci, sed tituli quoque similis indolis librorum, veluti *στοιχείωσις θεολογική* vel *ἐπιχειρήματα ιη' κατὰ Χριστιανῶν* vel *περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα θεολογίας* testantur. In amplissimis quoque Procli commentariis ad Platonis scripta permulta quae ad hoc argumentum spectant placita Lydus indagare poterat [cf. IV,76 (p. 128,4) cum Procli comm. in Platonis Alcibiadem I p. 187 Creuzer; IV,154 (171,8) cum Procli theolog. Platon. p. 258 C.].

Quibus rebus perpensis quod ad easdem quas et I. Fridericus Schultze[1]) et Georgius Wissowa[2]) et Curtius Wachsmuth[3]) protulerunt sententias perveni mihi magno gaudio est.

Iam vero restat, ut de indicibus deorum qui per totum librum quartum dissipati reperiuntur, veluti Dionysorum in IV,51 (p. 107,7); Venerum in IV,64 (p. 117,1–12); Herculum in IV,67 (p. 121,25); Iovium in IV,71 (p. 122,21); Vulcanorum in IV,86 (p. 135,8); Aesculapiorum in IV,142 (p. 164,7), pauca verba faciamus; nam de eorum fontibus Bobethius[4]) nuperrime copiose disputans Lydum in tabulis Dionysorum, Venerum posteriorum (p. 117,6 sq.), Herculum, Vulcanorum, Aesculapiorum Graecam recensionem, quae ex Didymi libro *Ξένη ἱστορία* fluxit, contra in Iovium et priore Venerum indice Varronianam secutum esse recte

---

1) Lydi fabulas de Saturno deo ex Procli libris fluxisse I. Fr. Schultze l. c. p. 45 timide coniecit.

2) l. c. p. 42.

3) in proleg. ed. de ost. [2] p. XXIII not. 17.

4) de indicibus deorum, diss. Lips. 1904 cap. VII p. 43 sq.; cf. Wessner, Berl. philolog. Wochenschrift XXV (1905) No. 25 p. 796 sq.

demonstravit.[1]) Quos omnes indices quod argumento ipso cum placitis de dis arte cohaerent et plerumque ibi extant, ubi Lydus in propinquo Neoplatonicorum vestigia pressit [cf. Dionysorum, Venerum, Vulcanorum tabulas], ex eodem e quo omnia reliqua de dis placita desumpta sunt fonte fluxisse non incauti esse mihi videtur conicere.

Quibus omnibus perlustratis quae ad Lydi fontem indagandum faciunt, mihi id constare videtur Lydum Macrobiumque in eis partibus quae ad placita de dis deabusque spectent ad eosdem auctores ultimos [Iamblichum et Cornelium Labeonem] redire, nequaquam autem ex uno fonte proximo hausisse; nam certum est Ioannem adhibuisse opus, quod ab homine Neoplatonico (non sine veritatis specie a Proclo) compositum doctrinam theologicam recentiorum Platonicorum et Graecorum et Romanorum amplexum est.

4a.

Qua quaestione expedita restat, ut num Lydus aliorum conlectaneorum vestigia presserit quaeramus. Illum id fecisse primo obtutu cognoscimus ex eo, quod Lydo consuetudo est, ut ubicumque fors eum in exteram aliquam vocem fert, eius significationem addere studeat[2]). Quis vero has explicationes, quarum numerum non parvum esse ex Wuenschii indice glossarum intellegas[3]), omnes ipsum invenisse sibi persuadeat? Hasce igitur ex aliquo glossario eum hausisse pro certo ponere possumus, praesertim quae nullo negotio e verborum contextu avellantur. Itaque qua eas afferendi consuetudine Laurentius usus sit, paucis inlustremus exemplis. Lydus in I,30 cumulat glossas, ubi de senatu in Palatium coacto loquitur sententiarumque conexu interrupto significationem

[1]) l. c. p. 56.
[2]) cf. Schultzii observationes l. c. p. 13sq.
[3]) cf. Wuenschii editionem p. 189sq.

nominis et conventus et silentii subiungit: p. 15,2 *τὴν δὲ τοιαύτην σύνοδον κομβέντον ἔθος Ῥωμαίοις καλεῖν, ἀντὶ τοῦ συνέλευσιν* [cf. Corp. Gloss. Lat. II p. 115,52]; p. 15,5 *σιλέντιον δ᾽ αὐτὴν* (i. e. *σιγήν*) *πατρίως καλοῦσιν* [cf. C Gl L II p. 183,55]. In IV,1 (p. 63,10) Ioannes nominat Ianum Cenulum et Cibullium et orationis nexu relicto affert haec: *οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι κίβους τὴν τροφὴν ἐκάλουν* [cf. C Gl L II p. 100,22]. Eiusmodi autem exempla permulta singulae fere scripti Lydiani paginae suppeditant.

Quarum glossarum satis multae etiam nunc nobis servatae sunt, e. g.:

Lyd.		CGlLII	Lyd.		CGlLII
p. 12,21	=	p. 420,63	p. 61,10	=	p. 125,37
p. 14,4	=	p. 198,23	p. 78,10	=	p. 153,24
p. 14,5	=	p. 257,37	p. 87,8	=	p. 380,24
p. 14,7	=	p. 122,39	p. 92,1	=	p. 130,51
p. 15,10	=	p. 402,40	p. 124,13	=	p. 129,31
p. 15,14	=	p. 101,48	p. 126,1	=	p. 143,21

Atque hoc quidem glossarium utroque sermone confectum esse perspicuum est et elucet ex talibus verbis, qualia persaepe apud eum legimus, veluti in IV,29 (p. 87,7): *ματρώνας δὲ αὐτὰς οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δὲ Ἕλληνες οἰκοδεσποίνας* [cf. I,28; I,29; I,30; I,33 et al.].

4 b.

Praeter hoc obscuriora vocabula interpretandi studium Lydum etiam in enodandis nominibus laborasse permulti loci monstrant; nam ubicumque fieri poterat, ad singulas voces explicandas attulit etymologias, quas qui apud eum persequetur, ex aliquo lexico etymologico desumptas esse concedet. Ipse autem Ioannes grammaticos se secutum esse non negat, veluti in IV,107 (p. 144,9), ubi de diversis Nili fluminis nominibus locutus hanc etymologiam praebet: *τὸ γὰρ δόξαν τοῖς γραμματικοῖς ἀπὸ τῆς νέας ἰλύος*

ὠνομάσθαι τὸν Νεῖλον πρὸς ἐτυμολογίαν ὁρᾷ, vel in IV,34 (p. 91,20), ubi de Martis dei nomine derivando disputans etymologias a physicis excogitatas qui a grammaticis discedunt cumulat; quas explicationes grammaticorum definitiones subsequuntur, inter quos Philoxenum[1]), qui librum *περὶ Ῥωμαίων διαλέκτου* condidisse dicitur, nominatim laudat (p. 92,3). Has autem etymologias ex tali libro fluxisse loci similes in Etym. Mag. p. 140,16 et p. 574,135 indicant. Lydus vero quemadmodum eas textui inseruerit, et hic locus testatur, ubi profectus a Martis genere eiusque relatione ad ignem (id quod sine dubio hausit ex eo auctore, cui theologicas disputationes debet, nisus mythicorum auctoritate) statim ad etymologias afferendas transit, et locus in IV,1 (p. 64,6), de quo supra p. 72 egimus. Permultos alios quoque locos, quibus in originibus verborum indagandis Lydus versatur, ab eiusmodi opere profectos esse per se manifestum est. Cui autem grammatico ille ea debeat, dicere non possumus. Id vero constat Graecum eius fontem fuisse; nam plerumque laudat Graecorum scriptores, sicut Plutarchum in I,2 sive Philoxenum in IV,34 sive alios. Inlustri autem documento est, quod Lydus in IV,15 de pontificibus docet[2]). Hoc enim loco pontifices cum Atheniensium sacerdotibus antiquitus *γεφυραῖοι* appellatis confert, qui praeerant rebus sacris omnibus, et eis nomen propterea inditum est, quod in ponte Sperchii fluminis sacerdotio Palladii fungerentur[3]). Talia autem vocabulorum Latinorum etyma, ut recte monuit I. Fr. Schultze[4]), non possunt non a Graecis excogitata esse.

---

[1]) de hoc grammatico Alexandrino cf. I. Fr. Schultze l. c. p. 15.

[2]) quacum uberiore explicatione conferatur eadem brevior in IV,102 (p. 142,3).

[3]) de hac ipsa re inspicias Toepffer, att. Genealogie p. 293; Wilamowitz in Hermae vol. XXXIV p. 607.

[4]) l. c. p. 18.

4 c.

Sed iam dicendum erit de nonnullis aliis locis, qui ad opera conlecticia, utpote quae rerum quoque explicationes Ioanni suppeditare potuisse pateat, mihi videntur referendi esse. Licet enim compilator ipse persaepe eis ipsis commentationis locis quibus non exspectamus permultas digressiones immiscuerit et hoc modo multiplici variaque fuisse videatur doctrina, tamen, ut opinor, harum fabularum materiam, quas enarrans multorum testium auctoritate se tuetur, non ipse potuit conligere, sed iam comportatam dispositamque in conlectaneis repperit. Quisnam est, qui sibi persuadeat Lydum, quippe qui in hoc scripto de mensibus agere in animo habuerit, complures quos de una re consuleret auctores adiisse singulosque perlegisse, praesertim si quid, quod non pertineret ad ipsam rem propositam, narrationibus insereret?

α) Ex eiusmodi florilegio exscriptam esse conicio paragraphum IV,107, ubi de causis cur Nilus flumen per aestatem intumescat fabulatur et in multorum veterumque auctorum sententiis se iactat. Hasce autem quaestiones a veteribus persaepe institutas esse cognoscitur ex auctorum indice, quem praebet Hermannus Diels[1]). Hic Lydianus excursus tam adcurate consentit cum Seneca in Quaest. Nat. IV, 2 § 17 sq., ut Lydum illum a verbis *περὶ τῆς ἐν θέρει* (p. 144,11) ad *δαπανᾶται ὑπὸ τοῦ πυρός* (p. 146,3) transtulisse primo obtutu adpareat; nam non modo rebus et verbis, sed auctorum quoque nominibus in hac parte inter se conspirant; testes sunt hi:

Lyd. IV,107 (p.144,6—146,3)		Sen., Quaest. Nat. IV, 2 §17 sq.
Ἀναξαγόρας	(p. 144,12)	Anaxagoras
Αἰσχύλος	(p. 144,14)	Aeschylus
Σοφοκλῆς		Sophocles
Εὐριπίδης		Euripides

[1]) Doxograph. gr. p. 226 sq.

Σενέκας (p. 144,16)	
	Thales
Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης (p. 145,5)	Euthymenes Massiliensis
Σενέκας (p. 145,13)	
	Oenopides Chius
Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης (p. 145,20)	Diogenes Apolloniates.

Ex hoc auctorum indice, quos Lydus complures habet[1]), Senecam bis nominatum esse elucet. Iam vero quod cui debeat Lydus haec placita magnum est certamen inter viros doctos, inter quos I. Fr. Schultze[2]) et G. Müller[3]) Ioannem a Seneca pendere negant, Gercke[4]) autem contrarium ipsum pro certo habet, nunc nobis quaerendum est, unde Lydus ea hauserit. Atque primum quidem mirum est, quod Lydus Senecam et tragicorum poetarum et Euthymenis opiniones refutantem inducit et Thaletis et Oenopidis sententias neglegens extemplo ad proximum auctorem progreditur; deinde, quod Ioannes et Euthymenis et Diogenis sententias, quas Seneca verbotenus reddidit [§ 22; § 28], oratione usus obliqua in medio ponit; denique, quod in prima commentationis parte Senecae narrationem non sequitur. Haec autem conglutinandi describendique ratio a Lydiana abhorret, ut supra ostendimus; potius Lydus ex more suo fontem nobis eo indicat, quod Chresti iudicium, quem ultimo loco laudat [p. 147,7], rectissimum dicit atque ipsis verbis servatis reddit. Itaque ei ab illo totam de Nili fluminis inundatione explicationem traditam esse veri admodum simile est; et mirum quantum favet huic opinioni, quod Chrestum antiquorum auctorum sententias percensuisse ex his verbis elucet [p. 148,22]: *καὶ οἱ*

---

[1]) de Callisthene, quem Lydus inter eos p. 146,20 laudat, cf. C. Wachsmuth in Mus. Rhen. vol. LVI (1901) p. 226.

[2]) l. c. p. 44.

[3]) G. Müller, de Sen. quaest. nat., diss. Bonn. 1886 p. 17 et 26.

[4]) in annal. philol. vol. suppl. XXII p. 99.

μὲν ἄλλοι στοχαζόμενοι λέγουσιν, ἐγὼ δέ atque eiusmodi placita conlegisse Gercke ipse[1]) ex hoc concludit [p. 148,9]: *ἐκ τῆς βίας γάρ, ὡς εἴρηται, τοῦ βορείου πνεύματος ἀνακλώμενος.* Atque quod ille vir doctus[2]) dicit: „Stilistisch ist diese Äusserung eines wenig berechtigten Selbstbewusstseins (cf. Chresti verba ap. Lyd. p. 148,22) mit der Sokratischen ars nesciendi (*τὸ δ' ἀτρεκές* p. 147,6) nicht in Verbindung gesetzt: das weist zwingend auf verschiedene Quellen hin, Chrestus und Seneca," mihi non satis probabile videtur atque in compilatoribus nullius momenti est; quam ob rem utrum Lydus an Chrestus id commiserit, diiudicari vix potest. Quibus de causis Ioannis Friderici Schultze et Georgii Müller opinionem de Lydi auctore nobis pro vera habendam esse censeo.[3]) Attamen hac una de re Schultzio assentiri non possum, quod hunc auctorem ab eiusdem nominis grammatico Africano non distinguendum esse docet; nam aliquem grammaticum suis disputationibus grammaticis tam amplum excursum ad geographiam pertinentem inseruisse mihi quidem veri dissimile est.[4])

β) Praeter hanc de Nili inundatione expositionem Lydum eas quas in IV,42 (p. 99,11 sq.) praebet fabulas ex aliquo conlectaneo mutuatum esse opinor. Hoc enim loco Martis esse fabam explicat propterea quod sanguine praegnans sit; et hisce verbis adicit narrationem de faba, quae hominum corpora cum editur ad concubitum incitet atque ita animos ad generationem alliciat. Iam de hoc fructu fabulas enarrare pergit et Heraclidem Ponticum

---

1) l. c. p. 98.

2) l. c. p. 99.

3) attamen magnam Senecae capitis IV, 2 lacunam Lydi auxilio expleri posse non nego; videas Diels, Doxogr. gr. p. 228,3; Seneca und Lucan (Abh. der Königl. Akad. der Wiss. zu Berlin aus dem Jahre 1885) Berol. 1886 Abh. III p. 6 not. 3; Gercke l. c. p. 98.

4) cf. Gercke l. c. p. 98; Wissowa, Realencycl. III p. 2449.

(p. 99,18), poetam aliquem (p. 99,22), Diogenem (p. 99,24) id testantes facit. Atque de Diogenis quidem nomine magna exorta est dissensio inter viros doctos, quorum omnes fere in scriptoris nomine Laurentium errasse suspicabantur. Etenim quod haec Diogenis verba adcurate conspirare cum Porphyrianis in *vita Pythagorae* § 44 (p. 41,2–14 Nauck) eos non fugit, Diogenis nomen in Porphyrii mutare volebant. Creuzer[1]) autem ut Lydi auctoritatem servaret, a Diogene Laertio hunc locum profectum esse putavit; I. Fr. Schultze[2]) vero ad eam sententiam processit, ut nomen Diogenis propter aliam causam in Lydi fonte commemoratum et ab homine incauto commutata esse scriptorum nomina crederet. Hoc autem loco, etsi apud Porphyrium Antonii Diogenis nomen omissum est, tamen e contextu id supplendum esse Erwinus Rohde[3]) confirmavit; nam hae Porphyrii paragraphi 32—44 omnes vindicandae sunt Diogeni, cuius in § 32 mentio fit. Itaque haec verba Antonio Diogeni apud Lydum tribuenda esse ex utriusque commenti concentu adparet [cf. Porphyr. in *vita Pythagorae* § 44 (p. 41,2—14 N.) cum Lyd. IV,42 (p. 100,1)].

Quae cum ita sint, iam quaeritur, unde Lydus pendeat. Erwinus Rohde[4]) enim quod hunc Lydi locum fluxisse e Porphyrii libro aut ex ipsis Antonii Diogenis scriptis conicit, hoc non recte statuisse mihi videtur. Atque primum quidem titulus et libri numerus, quem Lydus (p. 99,24) habet: *Διογένης ἐν τρισκαιδεκάτῃ ἀπίστων*, apud Porphyrium desunt, ob eamque causam eius librum Lydum non inspexisse perspicuum est. Deinde autem si quis hunc locum ex Antonio derivatum esse putet, nova quaestio nascitur, unde reliqua quae et ante Diogenis verba et post ea extant placita de faba sumpta sint. Has autem

[1]) in nunt. doct. Gotting. 1854 p. 7 sq.
[2]) l. c. p. 47.
[3]) in Mus. Rhen. XXVI p. 575 = Kleine Schriften II p. 126.
[4]) Der griechische Roman p. 255 not.

mirabiles historias apud Diogenem non enarratas esse contendere ausim; nam si id fuisset, a Porphyrio certe hic totus locus, ubi causae explicantur, cur Pythagoras discipulos fabis vesci vetuerit, exscriptus esset e Diogene. Itaque proximum est, ut has fabulas Lydum iam in alio fonte conlectas repperisse statuamus. Quam ad opinionem id me permovet, quod aliis quoque locis similes historiae mirabiles sive de plantis arboribusque sive de animalibus aut lapidibus enarratae inveniuntur et saepe veteres scriptores advocantur. Sic in III,$_{11}$ (p. 50,$_{6}$), ubi de interlunii vi proposuit exempla, adhibet: p. 50,$_{11}$ Antigonum et p. 50,$_{14}$ Archelaum de formicis; p. 51,$_{17}$ nonnullos, inter quos Dercyllus de lapide, qui lychnis dicitur[1]); p. 52,$_{6}$ Callisthenem Sybaritam de pisce, quem regionis Celticae incolae clopiam vocant[2]); p. 52,$_{7}$ Archelaum de muscis. Praeterea Lydus eiusmodi relationes alibi habet, quas perlegas quaeso:

II,$_{10}$ de lupo et noctua teste Antigono;
IV,$_{11}$ de palma testibus fama et Apollonio;
IV,$_{13}$ de magnete lapide;
IV,$_{14}$ de piperis arbore testibus veteribus, Ctesia Cnidio, Maximo;
IV,$_{98}$ de aliquo lapide teste Eudoxo.

Quis vero tanta fuisse Lydum diligentia industriaque, ut tot auctores historiarum mirabilium causa consuleret, sibi persuadeat? Immo non dubium videtur, quin in conlectaneo haec testimonia reppererit in eodemque fortasse, quod in fabulis de acipensere pisce in libris *de mag.* III,$_{63}$ eum usurpasse Schultze[3]) demonstravit. Quo ex libro

---

[1]) quem locum compares cum Ps. Plutarchi verbis in „*de fluviis*“ 1,$_{2}$.

[2]) cf. Ps. Plut. l. c. 6,$_{2-3}$.

[3]) l. c. p. 42 sq.

quin Antonii Diogenis verba omniaque alia fluxerint, equidem in dubium non voco.

Quibus rebus expositis hanc disquisitionem ad finem perductam esse censeo et a Lydo in universum opera conlecticia adhibita esse ad hos componendos libros spero me satis ostendisse.

Caput II.

Ioannis Laurentii Lydi de anno Romanorum doctrina ad fontes revocatur.

Cum Lydi epitomatores pro suae aetatis more multo magis delectati sint philosophorum praeceptis quae apud eum plurima congesta reperiebant quam Romanorum antiquitatibus, non mirabimur pauca modo exiliaque aetatem tulisse placita ad anni formam fastorumque rationem et vicissitudinem spectantia, quae unde Lydus arripuerit, nunc nostrum est ostendere. Sunt vero illa huius doctrinae frustula, quae per totum fere opus dispersa ex tota placitorum farragine discernere studuimus de Lydiani scripti indole acturi (vide supra p. 4 sq.). Quae quamvis a Lydo incondite comportata dispositaque esse videantur, tamen eum tota hac *de temporibus* explanatione certam rationem quam ipse indicat in II,1 ita persecutum esse demonstravimus, ut de diebus, de mensibus, de annis vertentibus, de tempore atque aevo, de singulis mensibus diceret atque, etsi non ipse profiteatur, naturalia tempora a civilibus distingueret. Hanc autem scripti indolem a Lydo ipso excogitatam esse vix quisquam putaverit, quippe cum eandem fere temporum dispositionem a Varrone in *antiquitatum humanarum* libris, ut Gruppius[1]) recte ostendit, et nisi omnia fallunt, ab aliis quoque scriptoribus, qui ab illo pendeant, adhibitam esse consideret. Ipse enim pro-

---

[1]) in Hermae vol. X p. 51; praeterea conferas A. Hahn, de Censorini fontibus, diss. Ien. 1905 p. 44.

fiteri non dubitat sententias non a se ipso excogitatas, sed ex aliis veterum auctorum scriptis sumptas se protulisse, sic locutus in II,1 (p. 18,6): *ὅσα γε ἡμεῖς ἐκ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν παρειλήφαμεν.* Quae cum ita sint, hi Romanorum auctores quorum vestigia pressit nobis quaerendi sunt.

Sed in hac de auctoribus quaestione expedienda Lydus ipse nusquam fere certam nobis praebet ansam; ille enim, etsi omnia quaecumque ex Romanorum auctoribus haurire potuit se in medio posuisse simulat, tamen his ipsis locis quibus anni historiam amplectitur praeter Varronem neminem fere eorum nominat, qui eodem de argumento disputarunt eique non pauci. Itaque fortasse quispiam dixerit Lydi expositionem de anni historia universam ex Varronis *antiquitatum humanarum* libris, qui copiam materiae ad compilandum idoneae ei praebere potuerunt, comportatam esse. At Lydus Varronis libros se ante oculos non habuisse ipse testatur in *de mag.* III,74 (p. 167,11), ubi est: *ὡς Φενεστέλλας καὶ Σισέννας οἱ Ῥωμαῖοί φασιν, ὧν τὰς χρήσεις ὁ Βάρρων [ἐπὶ] τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀνήγαγεν· [ἐγὼ δὲ τὰς] βίβλους οὔπω τεθέαμαι,* quae verba cum Krahnero et Kahlio[1]) ita explicare debemus, ut non modo Fenestellae et Sisennae, sed Varronis quoque libros *antiquitatum humanarum* se inspexisse neget. Id autem non mirum est; nam Gruppius[2]) iure meritoque docuit Varronis libros, quod a medio secundo saeculo scriptores magis magisque compilandi excerpendique munus susciperent et in Reatini scriptis exscribendis versarentur, praemature ipsos deperisse. Qua de causa Varronem ipsum non fuisse Lydi auctorem videtur mihi probari. Nihilo autem minus Varronianae doctrinae vestigia ab eo

[1]) L. Krahner, de M. Ter. Varronis antiquitat. rer. human. et divin. libris XLI, Hal. Sax. 1834 p. 29; Kahl in Philologi vol. suppl. V p. 746 not. 73; haec verba, ut opinor, non recte interpretatus est I. Fr. Schultze l. c. p. 35 sq.

[2]) in comment. in honor. Th. Mommseni p. 545 sq.

pressa esse nemo infitias ibit[1]), sed eum ab aliis accepta rettulisse omnes concedent. Quae cum ita sint, viri docti iam saepius indagarunt, cui auctori Lydus deberet hanc doctrinam. Quorum alter, I. Fridericum Schultze dico, sic iudicat[2]): „Lydus compilavit expositiones serioris temporis quae doctas priorum saeculorum disquisitiones per epitomen comprehenderunt“; alter, Reifferscheidium[3]) dico, qui laudabili opera omnia Suetonii fragmenta conlegit, Lydum appellat Suetonii compilatorem, praesertim cum nusquam in his Lydianis libris eius nomen inveniatur. Quas sententias secutus Georgius Wissowa[4]), qui de Macrobianis fontibus agens hanc quaestionem paucis verbis tetigit, animadvertit concentum, qui inter Lydum et Macrobii Saturnaliorum l. I 12—16 intercedit, quae ille e Suetonii libro *de anno Romanorum* fluxisse demonstravit[5]); quem concentum ille ita expediebat, ut a Lydo in expositionibus serioris temporis excerpta illius Suetoniani libri inventa adhibitaque esse statueret. Contra aliter Theodorus Litt, qui nuperrime in ea quaestione versatus est, a Lydo Macrobioque Cornelium Labeonem adhibitum esse docet[6]). Illam enim de Suetonio opinionem a Wissowa prolatam refutare conatus „Macrobii de Romanorum anno mensibus diebus disputationem principalem ex Verrii fastorum libris derivatam esse“ explicavit[7]). Sed hac in re Littius nihil novi attulit; nam Macrobii auctorem Verrii quoque vestigia pressisse Wissowa ipse indicavit sic locutus[8]): „atque imprimis hoc

---

1) cf. H. Willemsen, de Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis, diss. Bonn. 1906 p. 8.

2) l. c. p. 29 not. 24.

3) in collectione C. Suetonii Tranquilli reliquiarum 1860 p. 476.

4) de Macrobii Saturn. font. cap. tria, diss. Vratisl. 1880 p. 22.

5) l. c. p. 17 sq.

6) Theod. Litt, de Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, diss. Bonn. 1904 p. 23 sq.

7) l. c. p. 17.

8) l. c. p. 32.

adparet — quod ne antea quidem ignorabatur, sed ex Isidori miseris excerptis non poterat satis perspici — hanc praecipue rationem Suetonium secutum esse, ut Varronis atque Verrii Flacci doctrinam inter se conciliaret[1]) et quasi in unum conflaret, paucis aliis adhibitis libris Verrio recentioribus, ut Masurii Sabini fastis; antiquiorum autem scriptorum, quos multos laudavit, notitiam e Varrone et Verrio plerumque hausisse videtur", et hanc rem paucis exemplis inlustravit. Littius autem eo, quod quae Macrobii auctor e Verrio arcessiverit longius persecutus est, hanc Wissowae opinionem de Suetonio Macrobii auctore non modo non diluit, sed etiam eius sententiam de Suetonio Verrii sectatore invitus plane confirmavit; nam id quod ille dicit l. c. p. 16: „minime ea in qua deprehensus est Macrobii auctor compilandi ratio in Suetonii quale adhuc probatum est ingenium convenit", non probabile videtur eoque minus probabile, quod tota in Littii argumentatione nihil inest, quo haec sententia confirmetur. Quae cum ita sint, equidem non dubito, quin Suetonius Macrobii auctor fuerit. Qui quod Lydum Macrobiumque ex uno eodemque fonte proximo simul hausisse nobis persuadere conatur, hoc praepropere statuisse mihi videtur. In hoc enim concentu, qualem inter Lydum et Macrobium deprehendimus, eae extant discrepantiae, quibus utrumque haudquaquam ab uno eodemque auctore proximo pendere demonstretur; deinde autem Littius in Macrobiani auctoris investigatione non ea quae a Macrobio ipso ex aliis fontibus inserta esse Wissowa[2]) indicavit additamenta exemit neque quando Lydus ab alio ad alium fontem deverterit diligenter observavit nec Lydi argumenta de anno Romanorum ab eius de dis deabusque placitis adcurate seiunxit (vide

---

[1]) de Suetonio Varronis sectatore vide quae monuit Reifferscheid l. c. p. 473. 475, de Verrio ibid. p. 449 al.

[2]) l. c. p. 10; 17.

supra p. 73). Denique in hac quoque re magnopere erravit, quod Lydi excerpta ad Macrobii fontem indagandum adhibet[1]). Hanc autem Littii sententiam, quam pro falsa habendam esse explicabo, secutus est Henricus Willemsen[2]), qui in Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis indagandis versatus nonnulla Lydiana quoque frustula eaque inprimis de stellarum motu[3]) ad Varronem ultimum auctorem deduxit.

Quorum virorum opiniones ut plenius perscrutemur, quaestio ita tantum institui potest, ut faciamus Lydi librorum comparationem satis adcuratam cum eis scriptoribus, qui de anno Romanorum in libris suis egerunt quorumque in numero Macrobius, Censorinus, Solinus aliique referendi sunt.

Sed priusquam ad hanc rem ipsam accedamus, paucis, quid de eorum fontibus viri docti senserint, absolvamus. Georgius Wissowa enim postquam iam ante eum Mommsenus[4]) et Reifferscheidius[5]) concentum inter Censorinum Solinum Macrobiumque intercedentem animadverterunt eumque ita explicaverunt, ut omnes tres ab auctore

---

[1]) l. c. p. 28 sq.; videas autem quid Wissowa hac de re docuerit l. c. p. 21.

[2]) de Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis, diss. Bonn. 1906 p. 8; 22.

[3]) omnia fere quae de ostentis observata sunt ad Varronis ephemeridem navalem vel navales libros recedere inter omnes constat (cf. Bergk in Mus. Rhen. I p. 371; Reitzenstein in Hermae vol. XX p. 529). Varronem ipsum nominat Lydus compluribus locis, veluti IV,16 (p. 78,15); IV,48 (p. 105,13); IV,51 (p. 109,4); IV,135 (p. 162,8); IV,139 (p. 163,13); IV,143 (p. 164,14); IV,154 (p. 172,18). Ac si rationem qua alii eiusmodi scriptores, ut Callippus, Democritus, Eudoxus, Hipparchus, Metrodorus, Philippus a Lydo inducuntur, respexeris, facile perspicies haec omnia uni eidemque auctori Lydum debere, fortasse Apuleio, ut Wachsmuthius in proleg. ad Lydi de ost.² p. XXXIII vult.

[4]) in ed. Solini collect. rer. memorab.² p. XXIII; römische Chronologie ² p. 19.

[5]) in Suetonii reliqu. p. 177 sq.

communi penderent, in investigandis Macrobii Saturnaliorum fontibus diserte nobis persuasit[1]) „Macrobium libr. I cap. 12—14 paene tota e Suetonii de anno populi Romani libro deprompsisse eodemque fonte et Solinum et in nonnullis libelli sui partibus [cap. 20,2—11 et cap. 22,9—17] Censorinum usos esse“[2]). Iam vero nostra ipsa aetate a viris doctis de hac sententia inprimisque de Censorini fontibus multum certatum est. Nam postquam Martinus Schanz[3]) certis argumentis Censorini capita 18,14 et 21,10 ad Suetonii aetatem optime quadrare vidit eaque ex Suetonii Pratis fluxisse statuit, Paulus Weber[4]) hanc de Pratis sententiam recte refutans haec Censorini capita 17,7—13; 18,13—15; 20,2—12; 21,6—13; 22,8—17; 23,4 sq. omnia ex Suetonii libro *de anno Romanorum*, omnia autem de temporibus reliqua ex Varronis *antiquitatibus humanis* excerpta esse demonstravit[5]). Littius[6]) autem, quem Willemsen[7]) secutus est, Censorinum a Suetonio solo pendere pro certo affirmavit. Contra vero Alfredus Hahn[8]), qui nuperrime de Censorini fontibus copiose egit, Paulo Weber Varronis libros a Censorino adhibitos esse docenti adsentitur, obloquitur autem eius de Suetonio auctore

---

[1]) l. c. p. 17 sq.

[2]) l. c. p. 25. Georgii Wissowa dissertatio, etsi eius opiniones Otto Gruppe in „Berlin. philolog. Wochenschrift“ III (1883) No. 15. p. 470 sq. impugnavit repudiavitque, tamen ab aliis hominibus doctis, in quibus est Martinus Schanz in hist. litt. Rom. III² p. 58. iure conlaudatur. Teuffelius quoque in hist. litt. Rom. § 444,7 in universum sequitur Wissowae sententias; praeterea cf. Krollii iudicium, Bursiani Jahresb. vol. 124 p. 48.

[3]) in Hermae vol. XXX p. 425.

[4]) Quaestionum Suetonianarum capita duo. diss. Hal. 1903 p. 44 sq.

[5]) idem fere scribit Wissowa ap. Pauly - Wissowa. Realencyclopädie III p. 1909.

[6]) l. c. p. 16.

[7]) l. c. p. 6.

[8]) l. c. p. 17 sq.

Censoriniano opinioni, ratus Varronem solum fuisse eius auctorem[1]); nam comparans Censorini explanationem de temporibus cum Macrobiana ad hunc finem pervenit, ut „auctorem Macrobii a Censorini certe discrepare, eundem vero, ubi praecepta Varroniana sequatur, cum Censorino non dissentire“ [2]) statuat atque Macrobii fontem ad secundum p. Chr. n. saeculum reiciat. Quam ad Hahnii sententiam de Censorini auctore accedere nequeo; nam primum quidem ille in hac quaestione id gravissimum argumentum, quod Schanzius de Censorini capitibus 18,14 et 21,10 protulit eaque adsentiente Paulo Weber ad Suetonii aetatem deduxit, plane fere omisit nec refutare conatus est[3]). Deinde autem ut Littius, ita Hahnius quoque magnum in errorem incidit, quod universam de temporibus explanationem Censorini ex uno auctore fluxisse statuerunt; rem enim longe aliter se habere vel inde adparet, quod Varronis libros se legisse Censorinus ipse profitetur (cap. 17,15) et praeter Varronem eos quoque laudat scriptores, qui post illum de eodem argumento scripserunt (*Suetonius aliique* cap. 20,2) atque, ut recentioris quoque aetatis auctores inspiceret, natura sola ferebat. Inter alios autem Censorini auctorem eumque nullum alium nisi Suetonium numerandum esse Wissowae[4]) Weberique[5]) argumentatio et compilandi citandique mos compilatorum[6]), qui ut certi fontis nomen occultent, semper talia dicendi artificia adhibent, tam plane confirmant, ut Hahnii causae

---

[1]) idem sentit praeter eos quos Hahnius l. c. p. 18 nominat philologos Georgius Hofmann: „Ueber die Schrift des Censorinus, betitelt: de die natali liber“, Jahresbericht des Gymnasiums in Triest, 1891 p. 5.

[2]) l. c. p. 25.

[3]) l. c. p. 46.

[4]) l. c. p. 24.

[5]) l. c. p. 42 sq.

[6]) de compilandi ratione Censoriniana cf. O. Jahn in proleg. ed. p. IX.

de hac re prolatae[1]) haudquaquam probabiles, sed arcessitae videantur. Denique vero concentum inter Censorinum Macrobiumque, utpote quem Hahnius ipse saepius adgnoscat, et discrepantias inter eos ita tantum explicare possumus, ut Censorinum duas de temporibus disputationes i. e. Varronis et Suetonii in unum corpus consarcinasse sumamus. Iam his de causis Hahnium, cuius ad argumentationem in sequentibus saepius redibimus, Weberi sententiam nullo cum fructu impugnasse puto. Itaque apud Censorinum ei loci, quibus Varronem sequitur, ab eis qui ad Suetonium redeunt quosque Weberus recte indicavit[2]), adcurate seiungendi sunt.

Atque de Solini quidem fontibus[3]) Hahnius[4]) non minus falso iudicasse mihi videtur, cum Solini Macrobiique auctores diversos esse docet; nam consensus inter eos, etiamsi perpaucae extant minoris momenti dissimilitudines, tam manifestus est, ut utrumque ad unum eundemque auctorem recedere negari nequeat.

Ceterum Lydi fontes indagaturi semper fere ad illas rationes inter hosce omnes auctores intercedentes redire easque adcuratius explicare debebimus. Sed in hac quaestione de Lydi auctoribus expedienda Macrobii de anni historia disputationem in Sat. libr. I 12—16, utpote qua nusquam enarrationem uberiorem inveniamus, pro duce habendam esse censeo, quo melius fragmenta Lydianae de anno Romanorum doctrinae per libros II, III, IV dispersa inter se componere possimus. Quibus ex locis comparandis illa pauca additamenta a Macrobio ex aliis fontibus inserta, quae, ut Wissowa[5]) recte ait, nullam praebent ansam in auctoris investigatione, ante eximenda sunt, quod

---

[1]) l. c. p. 33.
[2]) l. c. p. 46.
[3]) in collect. rer. memorab. (ed. Momms.) I § 34—47.
[4]) l. c. p. 26 sq.
[5]) l. c. p. 16.

mendum commisisse Littium supra p. 87 monuimus. Haec autem saepius cum Lydianis verbis concinunt; cf. Macrob. I $12_{,9}$—$_{11}$ cum Lyd. IV$_{,34}$ (p. $92_{,11}$) + IV$_{,22}$ (p. $81_{,6}$); Macrob. I $12_{,20}$—$_{29}$ cum Lyd. IV$_{,80}$; Macrob. I $14_{,4}$—$_{5}$ cum Lyd. III$_{,5}$ (p. $40_{,15}$ sq.).

Qua in disputatione (Sat. I $12_{,2}$) Macrobius orditur, quali anno diversi populi utantur quaerens; idem fere autem tradit Lydus in III$_{,5}$:

Macrob. I $12_{,2}$ sq.	Lyd. III$_{,5}$
anni certus modus apud solos semper Aegyptios fuit.	p. $39_{,16}$: *Αἰγύπτιοι δὲ λέγονται ἀριθμῆσαι τὸν ἐνιαυτὸν τεσσάρων μηνῶν, ὅθεν καὶ χιλιετεῖς τινας βιῶναί ποτε παρ᾽ αὐτοῖς ἀναγράφουσιν.*
aliarum gentium dispari numero pari errore nutabat, et ut contentus sim referendo paucarum morem regionum, Arcades annum suum tribus mensibus explicabant, Acarnanes sex, Graeci reliqui trecentis quinquaginta quattuor diebus annum proprium computabant.	p. $40_{,2}$: *οἱ δὲ Ἀρκάδες τριῶν μηνῶν, Σικυώνιοι δὲ ἕξ, Λατῖνοι τριῶν καὶ δέκα τὸν ἐνιαυτὸν ἠρίθμουν,*
Non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo annum suum decem habuisse mensibus ordinatum.	p. $40_{,4}$: *παρὰ δὲ Ῥωμαίοις τὸ παλαιὸν δέκα μῆνας ἐτετύπωτο τὸν ἐνιαυτὸν ἔχειν,*
Sat. I $13_{,3}$: ac de duobus priorem Ianuarium nuncupavit (sc. Numa), ... secundum dicavit Februo deo.	*ὕστερον δὲ πρὸς τοῦ βασιλέως Νουμᾶ καὶ ἕτεροι δύο προσετέθησαν, τιμῆς μὲν ἕνεκα τῶν νοητῶν ὁ Ἰανουάριος, τῶν ὑλικῶν δὲ ὁ Φεβρουάριος.*

Utriusque commenti explicationes inter se similes, sed populorum nomina tam diversa sunt, ut ad eundem

auctorem recedere non videantur. Quis vero fuerit Lydi auctor ut investigemus, aliorum scriptorum indices inter se conferamus[1]). Censorinus enim in cap. $19,_4$ sq. nominat hosce populos: Aegyptios $(19,_4)$; Arcadas $(19,_5)$; Graecos $(19,_6)$; Caras et Acarnanas $(19,_7)$. Ille igitur Caras adiecit, quos apud Lydum Macrobiumque desideramus, et de Aegyptiorum anno hoc explicat: „*et in Aegypto quidem antiquissimum ferunt annum menstruum fuisse, post deinde ab Isone rege quadrimenstrem factum, novissime Arminon ad XIII menses et dies quinque perduxisse*“ $(19,_4)$. Quibus e verbis sequitur, ut Censorinus apud Aegyptios semper certum anni modum fuisse neget, id quod Macrobius praedicat; simili modo autem ille de Graecis aliter et de Acarnanibus uberius loquitur. Itaque non dubium est, quin Censorinus ad alium auctorem atque quo Macrobius usus sit redeat, et iure Muenzerus[2]) hunc locum ad Varronem rettulit adsentientibus Webero et Hahnio. Hahnii autem sententiam si haec dicere pergit[3]): „eadem dispositio apud Augustinum[4]), apud Plinium[5]), apud Plutarchum[6]), apud Polemium Silvium[7]) invenitur, quae res aliter explicari non potest nisi ut omnes ex uno eodemque communi auctore hausisse statuamus“, nemo qui attente rem inspiciet, sequi potest; nam inter hos scriptores tantae inveniuntur discrepantiae, ut nequaquam omnes ex eodem communi auctore haurire potuerint, quamvis partim ad Varronem tamquam auctorum auctorem redeant. Plinii enim indicem, qui Arcadas et Aegyptios in testimonium vocat,

---

[1]) de his indicibus agit H. Willemsen l. c. p. 22 sq.

[2]) Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius p. 108.

[3]) l. c. p. 20.

[4]) de civitate dei XV 12.

[5]) historia naturalis VII § 155.

[6]) Numa c. 18.

[7]) p. 241 (ed. Momms.).

e Varrone fluxisse Muenzerus[1]) demonstravit; ex quo Plutarchum pendere Willemsen[2]) non inscite opinatus est. Quibus ab omnibus, qui certe Varronis doctrinam secuti sunt, reliqui scriptores discedunt, qui post Plinii aetatem de eodem argumento disputarunt, veluti Solinus[3]), Augustinus, qui praeter Plinii indicem alium quoque uberiorem praebet, Polemius Silvius, Macrobius, Lydus; nam Aegyptios habuisse certum anni modum, utpote quem quattuor mensibus terminarent, inter se concordantes referunt atque de eisdem fere populis idem docent, ut ex hoc cognosces:

Solinus I,34	Augustin., de civ. dei XV 12	ex Plinio:
Aegyptii 4	Aegyptii 4	Aegyptii 4
Arcades 3		Arcades 3
Acarnanes 6	Acarnanes 6	
Lavinii 13	Lavinii 13	
Romani ⟨ initio 10 (I, 35) postea 12 (I, 38)		

Polem. Silvius p. 241	Macrob. l. c.	Lyd. l. c.
Romani ⟨ primum 10		
Aegyptii 4	Aegyptii (4)	Aegyptii 4
Arcades 3	Acardes 3	Arcades 3
Acarnanes 6	Acarnanes 6	Sicyonii 6
	Graeci reliqui 354 dies	Latini 13
	Romani ⟨ Romulo auctore 10 Numa auctore 12	Romani ⟨ 10 12

Ex hoc autem concentu omnes quin non ad Varronem ipsum Censorini auctorem, sed ad alium, qui Varronis in-

---

1) l. c. p. 108.

2) l. c. p. 24 sq.

3) collect. rer. memorab. I, 34 sq.

dicem adhibuerit modo amplificans modo mutans, recedant, iam nemini dubium videtur. Hoc modo autem ad Suetonium Varronis sectatorem[1]) deducimur, cuius populorum indicem alii aliter excerpserunt; nam Suetonium permultos populos advocasse vel inde adparet, quod Macrobius paucarum tantum regionum morem se rettulisse ipse profitetur (I 12,2). Itaque non mirum est, quod Lydus pro Acarnanibus Sicyonios attulit, praesertim qui antea [III,1 (p. 37,24)] de Arcadum Sicyoniorumque mensibus locutus esset. Quae cum ita sint, mihi dubium esse non videtur, quin hoc loco Lydus Suetonianae doctrinae vestigia presserit.

Nec minus difficile est id ad diiudicandum illo loco, quo Lydus et Macrobius de Romuli anno agunt:

Macrob. I 12,3

non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo annum suum decem habuisse mensibus ordinatum, qui annus incipiebat a Martio, et conficiebatur diebus trecentis quattuor, ut sex quidem menses, id est Aprilis Iunius Sextilis September November December, tricenum essent dierum, quattuor vero, Martius Maius Quintilis October, tricenis et singulis expedirentur, qui hodieque septimanas habent Nonas, ceteri quintanas.

Lyd. I,14 et al.

p. 8,14: ἀρχὴν δὲ ἐνιαυτοῦ δίδωσι Ῥωμύλος τὸν Μάρτιον πρὸς τιμὴν Ἄρεος· ἐξ αὐτοῦ γὰρ αὐτὸν γενέσθαι λόγος . . . . . . δέκα μόνοις μησίν. I,16 (p. 9,9): ὁ ἐνιαυτός, ἐπὶ δὲ Ῥωμύλου ὁρίζεται . . . δεκαμηνιαῖος, τῶν μὲν ὑπὲρ τριακάδος ἡμέρας πλείους, τῶν δὲ ἐλάττονας λαχόντων μηνῶν.

III,10 (p. 49,18): ἔχουσι δὲ ἑβδομαίας μὲν τὰς Νώνας Μάρτιος Μάϊος Ἰούλιος Ὀκτώβριος, πεμπταίας δὲ οἱ λοιποὶ πάντες.

---

[1]) vide Reifferscheidium in C. Suetonii Tranquilli reliq. p. 473 et al.

Romuli igitur annum decem mensibus terminatum esse et a Martio mense incepisse inter se concinentes scriptores narrant. Quod vero Macrobius, quot dies hic annus amplectatur, exponit, Lydus hunc dierum numerum aut tacuisse aut in I,14 (p. 8,16), ubi aperte lacuna extat inter verba: *γενέσθαι λόγος . . . . . . δέκα μόνοις μησίν*, inseruisse videtur. Nonnulla autem sunt, quae illud suadeant; nam primum quidem Lydus certum quoque dierum numerum singulorum mensium omittit explicatque nonnullos menses plures quam triginta dies, nonnullos pauciores sortitos esse [cf. I,16 (p. 9,11)]. Qua in re ipsa eum discrepare videmus ab illis tribus quos potissimum comparandos nobis sumpsimus auctoribus; Solinus enim Romanos initio annum decem mensibus computasse a Martio auspicantes ac diebus trecentis quattuor confecisse, ita ut sex menses tricenum dierum essent, quattuor reliqui tricenis et singulis expedirentur, in I,35 sq. docet. Neque aliter Censorinus in cap. 20,3 de Romuli anno refert: „*hi decem menses dies CCCIIII hoc modo habebant: Martius XXXI, Aprilis XXX, Maius XXXI, Iunius XXX, Quintilis XXXI, Sextilis et September tricenos, October XXXI, November et December XXX; quorum quattuor maiores pleni, ceteri sex cavi vocabantur*“. Sed inter hanc Censorini et Macrobii explicationem, ut Hahnius vult[1]), discrepantiam esse nullo modo intellego; certe autem in hunc errorem non incidisset, si illum a Wissowa indicatum locum (20,3) nec alium, veluti 20,2, qui sane cum illo arte coniunctus est, et 22,10 in examen vocavisset. His enim locis cum Macrobio comparatis invenitur differentia minoris momenti[2]), quae non aliter explicari potest, nisi ut Censorinum etsi brevius, tamen adcuratius Macrobii auctorem excerpsisse statuamus; nam alia inter eos locos consensione ex uno eodemque fonte

[1]) l. c. p. 20.

[2]) huic dissensui Hahnius ipse (l. c. p. 21) non magnam vim tribuit; de Censorini loco 22,10 cf. infra p. 103 sq.

fluxisse hasce explicationes comprobatur. In 20,2 autem Censorinus, ubi auctorum indicem praebet, ipse, ut supra demonstravimus, suum fontem indicat, Suetonium dico [cf. Weber l. c. p. 46]. Quae cum ita sint, satis adparere mihi videtur Censorinum Solinum Macrobium ad Suetonium his locis redire. Ac Lydum quidem non ipsum inspexisse Macrobii auctorem inde elucet, quod in universum cum eo concinens hanc ipsam adcuratam explicationem non affert. Quod vero Lydi auctor certum singulorum mensium numerum dierum neglexit, non mirum est; nam ille hac de re ipsa singulos scriptores inter se discrepare cognovit, veluti ex Plutarchi verbis in Numa cap. XVIII, ubi est: *Ῥωμύλου βασιλεύοντος ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως, τοὺς μὲν οὐδὲ εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ πέντε καὶ τριάκοντα τοὺς δὲ πλειόνων λογιζόμενοι, τῆς δὲ γινομένης ἀνωμαλίας περὶ τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον ἔννοιαν οὐκ ἔχοντες, ἀλλ' ἓν φυλάττοντες μόνον, ὅπως ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων ἡμερῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἔσται*, ob eamque causam de anni Romulei singulis mensibus, quot fuerint dierum, non adcurate loquitur. Nihilo autem minus apertum est hoc quoque loco magnam quidem partem Lydum Macrobiani auctoris vestigiis institisse. Idem autem ex eo cognoscitur, quod quae de Martio mense apud Macrobium I 12,5 legimus, redeunt apud Lydum I,14 (p. 8,14) + IV,102 (p. 141,15) + IV,111 (p. 150,2):

Macrob. I 12,5	Lyd. I,14
haec fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo Marti dicavit. quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est,	p. 8,14: *ἀρχὴν δὲ ἐνιαυτοῦ δίδωσι Ῥωμύλος τὸν Μάρτιον πρὸς τιμὴν Ἄρεος.* IV,102 (p. 141,15): *ἀπὸ τοῦ Μαρτίου — ἐκεῖνος δὲ ἦν ὁ παρὰ Ῥωμύλου τεθεὶς εἰς ἀρχὴν τοῦ πολιτικοῦ ἐνιαυτοῦ — πέμπτος ἐστίν, ὅθεν καὶ Κυντίλιος τὸ πρὶν ὠνομάζετο·*

et deinceps pro numero nominabantur.	IV,$_{111}$ (p. 150,$_2$): *ὅθεν οἱ μετ᾽ αὐτὸν ἄχρι τοῦ δεκάτου οὐ κυρίαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀριθμῶν ἕλκουσι προσηγορίαν.*

Hae autem explanationes, quippe quae adcurate inter se conspirent, quin eundem auctorem sapiant, nemo in dubitationem vocabit. Contra autem Martii mensis dies festi, si ad eos examinandos transibimus, nonnullas praebent dissimilitudines, quibus nobis persuadeatur Lydum ipsum non eodem quo Macrobium auctore usum esse ad describendum. Nam primum Lydus de eis multo brevius Macrobio in I 12,$_6$ locutus nullius alius rei mentionem facit in IV,$_{49}$ (p. 105,$_{16}$) nisi precum publicarum pro anni salubritate, ubi nomen Annae Perennae reticet[1]). Deinde Ioannes in III,$_{22}$ (p. 61,$_{19}$) = IV,$_{42}$ (p. 99,$_2$) de servorum festo similia narrat ac Macrobius in I 12,$_7$, nisi quod alias atque Macrobius causas addidit. Solinus autem in I, 35 cum Macrobio adeo consentit, ut utrumque ex uno eodemque fonte hausisse eo probetur. Quibus ex locis comparatis dilucide adparet Lydi et Macrobii commentum nequaquam ex uno auctore proximo fluxisse, attamen partim ad eundem ultimum recedere.

Iam vero veniamus ad eas de mensium nominibus explicationes Lydianas Macrobianasque, quae sunt hae:

[Macrob. I 12,$_5$ = Lyd. 1,$_{14}$ (p. 8,$_{14}$) + IV,$_{102}$ (p. 141,$_{15}$) + IV,$_{111}$ (p. 150,$_2$); vide supra].

Macrob. I 12,$_8$	Lyd. IV,$_{64}$
secundum mensem nominavit Aprilem, ut quidam putant cum adspiratione	p. 115,$_9$: *τὸν δὲ τέταρτον, ⟨ὃν⟩ Ἀπρίλιον ὀνομάζουσι, . . . ἀνέθεντο . . . . Ἀφροδίτῃ.*

[1]) cf. Ovid in fast. lib. III 523; Martial IV 64,$_{17}$; praeterea videas Merkelium in prol. ad Ovidii fast. ed. p. CCXIV; Usener in Mus. Rhen. vol. XXX p. 206 sq.

quasi Aphrilem, a spuma quam Graeci *ἀφρὸν* vocant, unde orta Venus creditur, et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genetricem vocemus.

p. 118,1: *Κίγκιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος σοφιστής φησι τὴν Ἀφροδίτην ἐξ ἀφροῦ τεχθῆναι . . . .*
p. 118,5: *ὅτι τὸν Ἀπρίλιον παρ' Αἰνείου πρὸς τιμὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ οἱονεὶ ἀφροδίσιον, τινὲς δὲ παρὰ τοῦ Ῥωμύλου οὕτως ὀνομασθῆναι βούλονται· τοῦ πρώτου γὰρ μηνὸς δῆθεν ἀνατεθέντος Ἄρει εἰκὸς ἦν τὸν δεύτερον Ἀφροδίτῃ ἀνατεθῆναι.*

Macrob. I 12,14

sed cum fere ante aequinoctium vernum triste sit caelum et nubibus obductum, sed et mare navigantibus clausum, terrae etiam ipsae aut aqua aut pruina aut nivibus contegantur, eaque omnia verno, id est hoc mense, aperiantur, arbores quoque nec minus cetera, quae continet terra, aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum est, quasi Aperilem, sicut apud Athenienses *ἀνθεστηριὼν* idem mensis vocatur ab eo, quod hoc tempore cuncta florescant.

Lyd. IV,64

p. 118,11: *ἐγκεκλεισμένης γὰρ ὥσπερ τῷ χείματι τῆς φύσεως τὸ ἔαρ ἐξανοίγειν τὰ πράγματα πέφυκεν.*

p. 118,9: *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ἀπρίλιον ὡσανεὶ Ἀπερίλιον ἀντὶ τοῦ ἀνοιχτικὸν τοῦ καιροῦ φασιν.*

Macrob. I 12,16

Maium Romulus tertium posuit. de cuius nomine inter auctores lata dissensio est. nam Fulvius Nobilior in Fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in maiores iuniores que divisit, ut altera pars consilio, altera armis rem publicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Iunium mensem vocasse.

Lyd. IV,76

p. 127,2: *λείπεται ὁ πέμπτος, Μάϊον δὲ αὐτὸν οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.*

Lyd. IV,88

p. 136,12: *οὕτως οὖν τοῦ πέμπτου μηνὸς εἰς τιμὴν τῆς γερουσίας πρὸς τοῦ βασιλέως Νουμᾶ διατεθέντος* [cf. IV,76 (p. 127,15 + 127,20)] *ἐλείπετο ἄρα τὸν ἕκτον εἰς τιμὴν τῆς νεολαίας — ἰουνιώρας γὰρ τοὺς νεωτέρους φασίν — ὁρισθῆναι· βουλῇ γὰρ γερόντων καὶ νεωτέρων ἀνδρείᾳ εἰκὸς διοικεῖσθαι, ὥς φησι Πλάτων, τὸ πολίτευμα.*

Macrob. I 12,18

Cingius mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deae rem divinam facit.

Lyd. IV,76

p. 127,21: *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Μαίας τῆς Ἄτλαντος τῆς Ἑρμοῦ* ⟨*μητρὸς*⟩ *ἀξιοῦντες ὀνομασθῆναι τὸν Μάϊον πρὸς ἕτερον βλέποντες οὕτω φασίν, ἀλλὰ μὴν καὶ διὰ τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ὅτι κατὰ τοῦτον τὸν μῆνα ἱερωθῆναι λέγεται.*

Macrob. I 12,19

contendunt alii Maiam Mercurii matrem mensi nomen dedisse, hinc maxime probantes, quod hoc mense

Lyd. IV,80

p. 132,7: *ηὔχοντο δὲ Μαίᾳ*

mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant.

τε καὶ Ἑρμῇ οἱ πραγματευταὶ ἀκίνδυνα τὰ τῶν κερδῶν εἶναι.

Macrob. I 12,30

Iunius Maium sequitur aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus aut, ut Cingius arbitratur, ...
aedes Iunoni Monetae Kalend. Iuniis dedicata est.

cf. Lyd. IV,88 (p. 136,14) iam supra descriptum.

Lyd. IV,89

p. 136,23: Καλένδαις Ἰουνίαις ἑορτὴ Ἥρας καὶ εὐχαὶ ἐν τῷ Καπετωλίῳ.

Macrob. I 12,34

sequitur Iulius qui, cum secundum Romuli ordinationem, Martio anni tenente principium, Quintilis a numero vocaretur, nihilo minus tamen etiam post praepositos a Numa Ianuarium ac Februarium retinuit nomen, cum non videretur iam quintus esse sed septimus.
sed postea in honorem Iulii Caesaris dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio consule, Iulius appellatus est, quod hoc mense a. d. quartum Idus Quintilis Iulius procreatus sit.

Lyd. IV,102

p. 141,13: τὸν Ἰούλιον μῆνα πέμπτον μὲν ἄν τις ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ, ἕβδομον δὲ ἀπὸ τοῦ ἱερατικοῦ λάβοι ἐνιαυτοῦ· ἀπὸ γὰρ τοῦ Μαρτίου — ἐκεῖνος δὲ ἦν ὁ παρὰ Ῥωμύλου τεθεὶς εἰς ἀρχὴν τοῦ πολιτικοῦ ἐνιαυτοῦ — πέμπτος ἐστίν, ὅθεν καὶ Κυντίλιος τὸ πρὶν ὠνομάζετο· ἕβδομος δὲ ἀπὸ τοῦ Ἰανουαρίου· ἱερατικὸς δὲ οὗτος κατὰ τὸν Νουμᾶν.
ὁ τοίνυν Καῖσαρ . . . .
εὑρὼν τὸν Κυντίλιον μῆνα τὴν προσηγορίαν μετέβαλεν . . . . διὰ τὸ αὐτὸν ἐκεῖνον κατὰ τὴν πρὸ τεσσάρων Εἰδῶν τοῦ μηνὸς τούτου τεχθῆναι.

Macrob. I 12,35

Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur,

Lyd. IV,111

p. 149,20: ὅτι δὲ ἕκτος ἀπὸ τοῦ Μαρτίου, ἐξ αὐτῆς ἐστι

donec honori Augusti daretur ex senatus consulto, cuius verba subieci: cum imperator Caesar Augustus mense Sextili et primum consulatum inierit, et triumphos tres in urbem intulerit, et ex Ianiculo legiones deductae secutaeque sint eius auspicia ac fidem, sed et Aegyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus inpositus sit, atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit, placere senatui ut hic mensis Augustus appelletur. item plebiscitum factum ob eandem rem Sexto Pacuvio tribuno plebem rogante.

λαβεῖν τῆς ἀρχαίας τοῦ μηνὸς τούτου προσηγορίας· Σεξτίλιος ⟨γὰρ⟩ μετὰ τὸν Κυντίλιον ὠνομάζετο.

p. 150,4: *Αὔγουστος δὲ ὕστερον μετωνομάσθη, ὥς μέν τινές φασιν, ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος*

διὰ τὸ ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ τοὺς ἐμφυλίους παῦσαι πολέμους, οὓς τότε πολλοὺς εἶχεν ἡ Ῥώμη, καὶ εἰς ὁμόνοιαν τοὺς Ῥωμαίους ἤδη καταστῆσαι. p. 150,20: *μετὰ ⟨δὲ⟩ τὰ πολλὰ καὶ μεγάλα ἐκείνου τρόπαια πολλοῖς ὀνόμασιν ἐτιμᾶτο.* p. 150,23: *ψήφῳ δὲ κοινῇ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῆς βουλῆς Αὔγουστος ἐπεκλήθη.*

Macrob. I 12,36

mensis September principalem sui retinet appellationem.

Lyd. IV,121

p. 158,16: *Σεπτέμβριον αὐτὸν ὠνόμασαν, οἷον ἕβδομον ἀπὸ τοῦ . . . . Μαρτίου μηνός.*

Macrob. I 12,37

mensibus a Septembri usque ad Decembrem prisca nomina reservavit.

Lyd. IV,121

p. 159,1: *κἄπειτα οὐ δεήσει περὶ τῆς τῶν ἑπομένων προσηγορίας μακρηγορεῖν· ὄγδοος γὰρ ἀπὸ τῶν Αὐξιφωτίων Ὀκτώβριος, καὶ Νοέμβριος καὶ Δεκέμβριος ὁμοίως.*

Lyd. IV,111 p. 150,2: ὅθεν οἱ μετ᾽ αὐτὸν (i. e. Αὔγουστον) ἄχρι τοῦ δεκάτου οὐ κυρίαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀριθμῶν ἕλκουσι προσηγορίαν.

Sed ut iam ad ipsam auctoris indagationem accedamus, Macrobii de mensium nominibus explanationem arto coniunctam esse vinculo cum Lydiana quin concedamus facere non possumus; nam omnia quae Macrobius affert veriloquia eadem fere sunt quae apud Lydum legimus. Itaque inde conligi potest utrumque ad unum eundemque auctorem redire. Auctor autem quis fuerit si nunc quaerimus, iam per se patet aliorum quoque scriptorum inprimisque Censorini[1]) Isidori[2]) veriloquia examini subicienda esse. Horum omnium autem de fontibus sententiae eorum hominum doctorum, qui nuperrime in hac quaestione versabantur (Littium[3]) et Hahnium[4]) dico) in diversas partes abeunt, quippe quorum alius alium dissensum inter hos detegere conatus sit. Omnes autem inter se in summis ipsis rebus concordantes nil fere aliud discrepant, nisi quod eorum alter altero uberius de veriloquiis agit atque ita quidem, ut omnia eiusdem commenti apographa esse videantur. Haec, enim dissimilitudo, quae minoris momenti est, neutiquam suadet, ut eos e diversis auctoribus hausisse statuamus, praesertim quae discrepantia ante omnia cum a sola totius libri indole, tum ab ea qua usus scriptor fontes excerpserit ratione pendeat. Etenim ex sola totius libelli et Censoriniani et Isidoriani indole coniectari licet utrumque summas tantum res quas auctor eis praeberet lectoribus tradere voluisse. Atque haec quidem

---

1) l. c. 22,9 sq.
2) de natura rerum IV,2.
3) l. c. p. 10 sq.
4) l. c. p. 20 sq.

sententia eo confirmatur, quod Censorinus in $22,_{11}$ Varronis testimonium de Aprilis mensis nomine, quod Macrobius I $12,_{13}$ sq. uberrime affert, breviter summatimque reddit [cf. praeterea Fulvii verba de Maio et Iunio mensibus apud Cens. $22,_{9}$ et Macrob. I $12,_{16}$] atque eandem excerpendi rationem Isidorus exhibet. Qua cum ipsa re cohaeret, quod non omnes quos auctor habebat scriptores laudant; citat enim:

Censorinus	Macrobius	Isidorus, de nat. rer. IV,2
Fulvium, Iunium $22,_{9}$	Fulvium I $12,_{16}$	antiquos.
	ut quidam putant I $12,_{8}$	
Varro $22,_{11}$ sq.	Cingium I $12,_{12.\ 18.\ 30.}$	
	Cingio Varro consentit I $12,_{13}$	
	contendunt alii I $12,_{19}$	

Itaque non mirum est, quod Censorinus illa quae Macrobii auctor Cingio tribuit Varroni vindicat; nam ille cum semel in fonte invenerit: *Cingio etiam Varro consentit* (cf. Macrob. I $12,_{13}$) atque, praesertim qui Varronem ipsum legisset, sciverit, quid ille de mensium nominibus doceret, semper pro Cingii nomine, ubicumque Macrobii auctor eum nominat, Varronis supponit [cf. Cens. $22,_{11}$ cum Macrob. I $12,_{13}$; Cens. $22,_{12}$ cum Macrob. I $12,_{18}$; I $12,_{30}$]. Quae cum ita sint, Littium[1]) in errorem incidisse apertum est, quod Censorinum Varroni ea tribuisse, quae non Varronis essent, docet; quam sententiam Hahnius[2]) et Willemsenius[3]) recte refutarunt. Attamen id in medio relinquamus atque ipsi videamus, quid rei sit.

---

1) l. c. p. 11.
2) l. c. p. 22 sq.
3) l. c. p. 21 sq.

fluxisse hasce explicationes comprobatur. In 20,2 autem Censorinus, ubi auctorum indicem praebet, ipse, ut supra demonstravimus, suum fontem indicat, Suetonium dico [cf. Weber l. c. p. 46]. Quae cum ita sint, satis adparere mihi videtur Censorinum Solinum Macrobium ad Suetonium his locis redire. Ac Lydum quidem non ipsum inspexisse Macrobii auctorem inde elucet, quod in universum cum eo concinens hanc ipsam adcuratam explicationem non affert. Quod vero Lydi auctor certum singulorum mensium numerum dierum neglexit, non mirum est; nam ille hac de re ipsa singulos scriptores inter se discrepare cognovit, veluti ex Plutarchi verbis in Numa cap. XVIII, ubi est: *Ῥωμύλου βασιλεύοντος ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως, τοὺς μὲν οὐδὲ εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ πέντε καὶ τριάκοντα τοὺς δὲ πλειόνων λογιζόμενοι, τῆς δὲ γινομένης ἀνωμαλίας περὶ τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον ἔννοιαν οὐκ ἔχοντες, ἀλλ᾽ ἓν φυλάττοντες μόνον, ὅπως ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων ἡμερῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἔσται*, ob eamque causam de anni Romulei singulis mensibus, quot fuerint dierum, non adcurate loquitur. Nihilo autem minus apertum est hoc quoque loco magnam quidem partem Lydum Macrobiani auctoris vestigiis institisse. Idem autem ex eo cognoscitur, quod quae de Martio mense apud Macrobium I 12,5 legimus, redeunt apud Lydum I,14 (p. 8,14) + IV,102 (p. 141,15) + IV,111 (p. 150,2):

Macrob. I 12,5	Lyd. I,14
haec fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo Marti dicavit. quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est,	p. 8,14: *ἀρχὴν δὲ ἐνιαυτοῦ δίδωσι Ῥωμύλος τὸν Μάρτιον πρὸς τιμὴν Ἄρεος.* IV,102 (p. 141,15): *ἀπὸ τοῦ Μαρτίου — ἐκεῖνος δὲ ἦν ὁ παρὰ Ῥωμύλου τεθεὶς εἰς ἀρχὴν τοῦ πολιτικοῦ ἐνιαυτοῦ — πέμπτος ἐστίν, ὅθεν καὶ Κυντίλιος τὸ πρὶν ὠνομάζετο·*

et deinceps pro numero nominabantur.	IV,$_{111}$ (p. 150,$_{2}$): ὅθεν οἱ μετ᾽ αὐτὸν ἄχρι τοῦ δεκάτου οὐ κυρίαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀριθμῶν ἕλκουσι προσηγορίαν.

Hae autem explanationes, quippe quae adcurate inter se conspirent, quin eundem auctorem sapiant, nemo in dubitationem vocabit. Contra autem Martii mensis dies festi, si ad eos examinandos transibimus, nonnullas praebent dissimilitudines, quibus nobis persuadeatur Lydum ipsum non eodem quo Macrobium auctore usum esse ad describendum. Nam primum Lydus de eis multo brevius Macrobio in I 12,$_{6}$ locutus nullius alius rei mentionem facit in IV,$_{49}$ (p. 105,$_{16}$) nisi precum publicarum pro anni salubritate, ubi nomen Annae Perennae reticet[1]. Deinde Ioannes in III,$_{22}$ (p. 61,$_{19}$) = IV,$_{42}$ (p. 99,$_{2}$) de servorum festo similia narrat ac Macrobius in I 12,$_{7}$, nisi quod alias atque Macrobius causas addidit. Solinus autem in I, 35 cum Macrobio adeo consentit, ut utrumque ex uno eodemque fonte hausisse eo probetur. Quibus ex locis comparatis dilucide adparet Lydi et Macrobii commentum nequaquam ex uno auctore proximo fluxisse, attamen partim ad eundem ultimum recedere.

Iam vero veniamus ad eas de mensium nominibus explicationes Lydianas Macrobianasque, quae sunt hae:

[Macrob. I 12,$_{5}$ = Lyd. I,$_{14}$ (p. 8,$_{14}$) + IV,$_{102}$ (p. 141,$_{15}$) + IV,$_{111}$ (p. 150,$_{2}$); vide supra].

Macrob. I 12,$_{8}$	Lyd. IV,$_{64}$
secundum mensem nominavit Aprilem, ut quidam putant cum adspiratione	p. 115,$_{9}$: τὸν δὲ τέταρτον, ⟨ὃν⟩ Ἀπρίλιον ὀνομάζουσι, . . . ἀνέθεντο . . . . Ἀφροδίτῃ.

[1]) cf. Ovid in fast. lib. III 523; Martial IV 64,$_{17}$; praeterea videas Merkelium in prol. ad Ovidii fast. ed. p. CCXIV; Usener in Mus. Rhen. vol. XXX p. 206 sq.

quasi Aphrilem, a spuma quam Graeci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur, et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genetricem vocemus.

p. 118,1: *Κίγκιος δὲ ὁ Ῥωμαῖος σοφιστής φησι τὴν Ἀφροδίτην ἐξ ἀφροῦ τεχθῆναι . . . .*

p. 118,5: *ὅτι τὸν Ἀπρίλιον παρ᾽ Αἰνείου πρὸς τιμὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ οἱονεὶ ἀφροδίσιον, τινὲς δὲ παρὰ τοῦ Ῥωμύλου οὕτως ὀνομασθῆναι βούλονται· τοῦ πρώτου γὰρ μηνὸς δῆθεν ἀνατεθέντος Ἄρει εἰκὸς ἦν τὸν δεύτερον Ἀφροδίτῃ ἀνατεθῆναι.*

Macrob. I 12,14

sed cum fere ante aequinoctium vernum triste sit caelum et nubibus obductum, sed et mare navigantibus clausum, terrae etiam ipsae aut aqua aut pruina aut nivibus contegantur, eaque omnia verno, id est hoc mense, aperiantur, arbores quoque nec minus cetera, quae continet terra, aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum est, quasi Aperilem, sicut apud Athenienses ἀνθεστηριὼν idem mensis vocatur ab eo, quod hoc tempore cuncta florescant.

Lyd. IV,64

p. 118,11: *ἐγκεκλεισμένης γὰρ ὥσπερ τῷ χείματι τῆς φύσεως τὸ ἔαρ ἐξανοίγειν τὰ πράγματα πέφυκεν.*

p. 118,9: *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ἀπρίλιον ὡσανεὶ Ἀπερίλιον ἀντὶ τοῦ ἀνοικτικὸν τοῦ καιροῦ φασιν.*

Macrob. I 12,16

Maium Romulus tertium posuit. de cuius nomine inter auctores lata dissensio est. nam Fulvius Nobilior in Fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in maiores iunioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rem publicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Iunium mensem vocasse.

Lyd. IV,76

p. 127,2: *λείπεται ὁ πέμπτος, Μάϊον δὲ αὐτὸν οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.*

Lyd. IV,88

p. 136,12: *οὕτως οὖν τοῦ πέμπτου μηνὸς εἰς τιμὴν τῆς γερουσίας πρὸς τοῦ βασιλέως Νουμᾶ διατεθέντος* [cf. IV,76 (p. 127,15 + 127,20)] *ἐλείπετο ἄρα τὸν ἕκτον εἰς τιμὴν τῆς νεολαίας — ἰουνιώρας γὰρ τοὺς νεωτέρους φασίν — ὁρισθῆναι· βουλῇ γὰρ γερόντων καὶ νεωτέρων ἀνδρείᾳ εἰκὸς διοικεῖσθαι, ὥς φησι Πλάτων, τὸ πολίτευμα.*

Macrob. I 12,18

Cingius mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deae rem divinam facit.

Lyd. IV,76

p. 127,21: *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Μαίας τῆς Ἄτλαντος τῆς Ἑρμοῦ ⟨μητρὸς⟩ ἀξιοῦντες ὀνομασθῆναι τὸν Μάϊον πρὸς ἕτερον βλέποντες οὕτω φασίν, ἀλλὰ μὴν καὶ διὰ τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ὅτι κατὰ τοῦτον τὸν μῆνα ἱερωθῆναι λέγεται.*

Macrob. I 12,19

contendunt alii Maiam Mercurii matrem mensi nomen dedisse, hinc maxime probantes, quod hoc mense

Lyd. IV,80

p. 132,7: *ηὔχοντο δὲ Μαίᾳ*

mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant.

τε καὶ Ἑρμῇ οἱ πραγματευταὶ ἀκίνδυνα τὰ τῶν κερδῶν εἶναι.

Macrob. I 12,30

Iunius Maium sequitur aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus aut, ut Cingius arbitratur, ...
aedes Iunoni Monetae Kalend. Iuniis dedicata est.

cf. Lyd. IV,88 (p. 136,14) iam supra descriptum.

Lyd. IV,89

p. 136,23: *Καλένδαις Ἰουνίαις ἑορτὴ Ἥρας καὶ εὐχαὶ ἐν τῷ Καπετωλίῳ.*

Macrob. I 12,34

sequitur Iulius qui, cum secundum Romuli ordinationem, Martio anni tenente principium, Quintilis a numero vocaretur, nihilo minus tamen etiam post praepositos a Numa Ianuarium ac Februarium retinuit nomen, cum non videretur iam quintus esse sed septimus.
sed postea in honorem Iulii Caesaris dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio consule, Iulius appellatus est, quod hoc mense a. d. quartum Idus Quintilis Iulius procreatus sit.

Lyd. IV,102

p. 141,13: *τὸν Ἰούλιον μῆνα πέμπτον μὲν ἄν τις ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ, ἕβδομον δὲ ἀπὸ τοῦ ἱερατικοῦ λάβοι ἐνιαυτοῦ· ἀπὸ γὰρ τοῦ Μαρτίου — ἐκεῖνος δὲ ἦν ὁ παρὰ Ῥωμύλου τεθεὶς εἰς ἀρχὴν τοῦ πολιτικοῦ ἐνιαυτοῦ — πέμπτος ἐστίν, ὅθεν καὶ Κυντίλιος τὸ πρὶν ὠνομάζετο· ἕβδομος δὲ ἀπὸ τοῦ Ἰανουαρίου· ἱερατικὸς δὲ οὗτος κατὰ τὸν Νουμᾶν.*
ὁ τοίνυν Καῖσαρ . . . . εὑρὼν τὸν Κυντίλιον μῆνα τὴν προσηγορίαν μετέβαλεν . . . . διὰ τὸ αὐτὸν ἐκεῖνον κατὰ τὴν πρὸ τεσσάρων Εἰδῶν τοῦ μηνὸς τούτου τεχθῆναι.

Macrob. I 12,35

Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur,

Lyd. IV,111

p. 149,20: *ὅτι δὲ ἕκτος ἀπὸ τοῦ Μαρτίου, ἐξ αὐτῆς ἐστι*

donec honori Augusti daretur ex senatus consulto, cuius verba subieci: cum imperator Caesar Augustus mense Sextili et primum consulatum inierit, et triumphos tres in urbem intulerit, et ex Ianiculo legiones deductae secutaeque sint eius auspicia ac fidem, sed et Aegyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus inpositus sit, atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit, placere senatui ut hic mensis Augustus appelletur. item plebiscitum factum ob eandem rem Sexto Pacuvio tribuno plebem rogante.

λαβεῖν τῆς ἀρχαίας τοῦ μηνὸς τούτου προσηγορίας· Σεξτίλιος ⟨γὰρ⟩ μετὰ τὸν Κυντίλιον ὠνομάζετο.

p. 150,4: *Αὔγουστος δὲ ὕστερον μετωνομάσθη, ὥς μέν τινές φασιν, ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος*

διὰ τὸ ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ τοὺς ἐμφυλίους παῦσαι πολέμους, οὓς τότε πολλοὺς εἶχεν ἡ Ῥώμη, καὶ εἰς ὁμόνοιαν τοὺς Ῥωμαίους ἤδη καταστῆσαι.
p. 150,20: *μετὰ ⟨δὲ⟩ τὰ πολλὰ καὶ μεγάλα ἐκείνου τρόπαια πολλοῖς ὀνόμασιν ἐτιμᾶτο.*
p. 150,23: *ψήφῳ δὲ κοινῇ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῆς βουλῆς Αὔγουστος ἐπεκλήθη.*

Macrob. I 12,36

mensis September principalem sui retinet appellationem.

Lyd. IV,121

p. 158,16: *Σεπτέμβριον αὐτὸν ὠνόμασαν, οἷον ἕβδομον ἀπὸ τοῦ . . . . . . Μαρτίου μηνός.*

Macrob. I 12,37

mensibus a Septembri usque ad Decembrem prisca nomina reservavit.

Lyd. IV,121

p. 159,1: *κἄπειτα οὐ δεήσει περὶ τῆς τῶν ἑπομένων προσηγορίας μακρηγορεῖν· ὄγδοος γὰρ ἀπὸ τῶν Αὐξιφωτίων Ὀκτώβριος, καὶ Νοέμβριος καὶ Δεκέμβριος ὁμοίως.*

Lyd. IV,111 p. 150,2: ὅθεν οἱ μετ᾽ αὐτὸν (i. e. Αὔγουστον) ἄχρι τοῦ δεκάτου οὐ κυρίαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀριθμῶν ἕλκουσι προσηγορίαν.

Sed ut iam ad ipsam auctoris indagationem accedamus, Macrobii de mensium nominibus explanationem arto coniunctam esse vinculo cum Lydiana quin concedamus facere non possumus; nam omnia quae Macrobius affert veriloquia eadem fere sunt quae apud Lydum legimus. Itaque inde conligi potest utrumque ad unum eundemque auctorem redire. Auctor autem quis fuerit si nunc quaerimus, iam per se patet aliorum quoque scriptorum inprimisque Censorini[1]) Isidori[2]) veriloquia examini subicienda esse. Horum omnium autem de fontibus sententiae eorum hominum doctorum, qui nuperrime in hac quaestione versabantur (Littium[3]) et Hahnium[4]) dico) in diversas partes abeunt, quippe quorum alius alium dissensum inter hos detegere conatus sit. Omnes autem inter se in summis ipsis rebus concordantes nil fere aliud discrepant, nisi quod eorum alter altero uberius de veriloquiis agit atque ita quidem, ut omnia eiusdem commenti apographa esse videantur. Haec, enim dissimilitudo, quae minoris momenti est, neutiquam suadet, ut eos e diversis auctoribus hausisse statuamus, praesertim quae discrepantia ante omnia cum a sola totius libri indole, tum ab ea qua usus scriptor fontes excerpserit ratione pendeat. Etenim ex sola totius libelli et Censoriniani et Isidoriani indole coniectari licet utrumque summas tantum res quas auctor eis praeberet lectoribus tradere voluisse. Atque haec quidem

1) l. c. 22,9 sq.
2) de natura rerum IV,2.
3) l. c. p. 10 sq.
4) l. c. p. 20 sq.

sententia eo confirmatur, quod Censorinus in 22,11 Varronis testimonium de Aprilis mensis nomine, quod Macrobius I 12,13 sq. uberrime affert, breviter summatimque reddit [cf. praeterea Fulvii verba de Maio et Iunio mensibus apud Cens. 22,9 et Macrob. I 12,16] atque eandem excerpendi rationem Isidorus exhibet. Qua cum ipsa re cohaeret, quod non omnes quos auctor habebat scriptores laudant; citat enim:

Censorinus	Macrobius	Isidorus, de nat. rer. IV, 2
Fulvium } 22,9	Fulvium I 12,16	antiquos.
Iunium } 22,9	ut quidam putant I 12,8	
	Cingium I 12,12. 18. 30.	
Varro 22,11 sq.	Cingio Varro consentit I 12,13	
	contendunt alii I 12,19	

Itaque non mirum est, quod Censorinus illa quae Macrobii auctor Cingio tribuit Varroni vindicat; nam ille cum semel in fonte invenerit: *Cingio etiam Varro consentit* (cf. Macrob. I 12,13) atque, praesertim qui Varronem ipsum legisset, sciverit, quid ille de mensium nominibus doceret, semper pro Cingii nomine, ubicumque Macrobii auctor eum nominat, Varronis supponit [cf. Cens. 22,11 cum Macrob. I 12,13; Cens. 22,12 cum Macrob. I 12,18; I 12,30]. Quae cum ita sint, Littium[1]) in errorem incidisse apertum est, quod Censorinum Varroni ea tribuisse, quae non Varronis essent, docet; quam sententiam Hahnius[2]) et Willemsenius[3]) recte refutarunt. Attamen id in medio relinquamus atque ipsi videamus, quid rei sit.

1) l. c. p. 11.
2) l. c. p. 22 sq.
3) l. c. p. 21 sq.

Supra enim iam exposuimus Lydum Macrobiumque in Martii mensis nomine expediendo inter se concordare; in hac quoque re conspirant illi cum Censorino 22,9, qui Martium a Marte patre Romuli nominatum esse tradit, et cum Isidoro, qui ex Suetonio refert, in libro de nat. rer. IV,2: „*hunc Martium propter honorem Romuli sic appellaverunt, quia eum Martis filium esse crediderunt*". Quo ex concentu dubium non videtur, quin ex eodem fonte hauserint, i. e. e Suetonio, Isidori auctore. Quod vero Censorinus in 22,11 Varrone teste docet: „*Martium mensem a Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa*" omnesque ceteri ac certe Suetonius quoque neglexerunt, id, ut opinor, non aliter explicari potest, nisi ut Censorinum Suetonii librum exscribentem Varronis diversam sententiam in memoriam revocasse et Suetonii doctrinae inseruisse statuamus.

Atque de Aprilis mensis nomine quidem disputationes Lydianas Macrobianasque, quamvis Lydiana confusa videatur, tamen inter se consonare eundemque auctorem sapere primo obtutu cognoscitur. Hac in re autem ambos conspirantes deprehendimus cum Censorini veriloquio in 22,9: „*Aprilem ab Aphrodite, id est Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur*", quam convenientiam Hahnius[1]) ipse adgnoscit. Illum autem, cum ut ostendat quantopere Macrobii et Censorini expositiones inter se dissentiant, Macrobii explicationem in I 12,9—11 adhibet, aperte fugit, hasce paragraphos, ut Wissowa[2]) recte demonstravit, ex alio fonte fluxisse atque e quo reliquas huius capitis partes hauserit. Itaque de hoc Hahnii argumento actum esse manifestum est; neque multo aliter res se habet de eius ceteris argumentis. Ille enim ad Macrobii locum I 12,13, ubi Varronis sententiam profert, qui non potuisse Aprilem mensem a Venere

1) l. c. p. 21.
2) l. c. p. 10.

nominari doceat his amplis verbis usus: „*Cingio etiam Varro consentit adfirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Graecum fuisse, et ideo non potuisse mensem a Venere nominari*“, haec adnotat [1]): „cuius rei Censorinum nihil commemorare videmus“, cum nos apud Censorinum Varrone teste breviter scriptum legamus (cap. 22,11): „*Aprilem autem non ab Aphrodite*“. Similia autem docet Isidorus l. c.: „*Aprilem vero nullo deorum suorum nomine*“. In sequentibus vero Macrobius uberius reliquis Varronis sententiam probat, sed ita, ut in rebus nihil fere dissonet ab omnium ceterorum interpretatione. Ut Lydus enim, sic Censorinus in 22,11: „*sed ab aperiendo, quod tunc ferme cuncta gignantur et nascendi claustra aperiat natura*“, maximeque Isidorus l. c.: „*sed de re propria quam aperilem nominaverunt eo quod tunc germen plurimum aperiatur in florem*“, tam similiter de his Aprilis veriloquiis agunt, ut omnes ad unum eundemque auctorem recedere negari sane nequeat, cuius doctrinam alius aliter excerpserit.

Sed priusquam ad Maii mensis veriloquia transeamus, ea, quae Lydus Macrobiusque de Aprilis festis diebus proferant, inter se conferamus. Macrobius enim in I 12,15 Verrio teste nihil aliud enarrationi inseruit, praeterquam quod matronas Veneri sacrum fecisse explicat sic locutus:

Macrob. I 12,15

non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent, cuius rei causam, quia huic loco non convenit, praetereundum est.

Lyd. IV,65

p. 119,10: *ταῖς τοίνυν Καλένδαις Ἀπριλίαις αἱ σεμναὶ γυναικῶν ὑπὲρ ὁμονοίας καὶ βίου σώφρονος ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην· αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρ-*

[1]) l. c. p. 22.

σίνῃ ἐστεμμέναι κτλ. (cf. fast. Praenest.; Ovid. fast. lib. IV 133 sq.).

Utriusque commenti explicationes non tam diversae sunt, ut e diversis auctoribus fluxisse videantur; nam apud communem auctorem multo plura quam Macrobius praebet enarrata esse vel inde adparet, quod ille in extrema hac paragrapho haec addit verba: „*cuius rei causam, quia huic loco non convenit, praetereundum est*". Id autem ita tantum explicari potest, ut Macrobium filio puero, cui hos Saturnaliorum libros dedicat, plura narrare verecundatum esse sumamus[1]). Lydus vero, qui Macrobiani auctoris doctrinam uberius in medio ponit, propterea non ipse inspexisse potest Macrobii fontem, quod Verrii nomen reticet. Idem autem cognoscitur comparatis locis ad Maii mensis veriloquia pertinentibus; nam etsi in utroque commento Romanos hunc mensem nominasse e maiorum honore refertur, tamen a Macrobiana doctrina Lydus discedit, utpote qui a Numa, sed non a Romulo quintum mensem in senectutis honorem, sextum in iuventutis constitutum esse doceat Fulviique nomen neglegat. Eiusdem autem auctoritate nititur Censorinus in 22,9 et haec affert: „*proximos duos* (sc. menses) *a populo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus*". Similia autem certi auctoris nomine suppresso Isidorus quoque narrat: „*alii autem sicut Maium pro maioribus, ita pro iunioribus Iunium vocari dixerunt.*" Sed non modo de hac derivatione, sed de alia quoque, quam de Maii nomine proferunt, omnes inter se concinentes docent Maium mensem propterea a Maia appellatum esse, quod eo huic deae res divina fieret [cf. Macrob. I 12,18.19 cum Lydo IV,76 (p. 128,2) + IV,80 (p. 132,7); Cens. 22,12; Isid. IV,3]. Quas explicationes unde Lydus surripuerit, inter viros doctos iamdudum est cer-

1) cf. Merkelium in proleg. ad Ovidii fastos p. CXXXVII.

tamen. M. Schmidtius[1]) enim Philoxeno grammatico eas deberi opinatur simile fragmentum afferens, quod Orio Thebanus e Philoxeno arcessivit. Quam Schmidtii sententiam egregie refutat I. Fr. Schultze in hunc fere modum locutus[2]): „ex loco foede lacerato nihil cognoscere licet quam Philoxenum dixisse, dupliciter Maium denominari posse aut a maiestate, id quod Calpurnio Pisoni ap. Macrob. sat. I, 12 p. 266 Zeun. arrisit, aut a Maia Atlantis filia. At Lydus tantummodo de Maia loquitur". Iam vero Schultzius reiciens Schmidtii opinionem sine dubio recte demonstravit Lydum a Latinis auctoribus pendere. Quod autem ille Varronis testimonium apud Censorinum vel Cornelii Labeonis apud Macrobium advocans dicit ea veriloquia vel ex Varronis vel ex Cornelii Labeonis libris fluxisse, ei adsentiri nequeo; nam Lydum non ipsum excerpsisse Varronis libros supra ostendimus. Atque Cornelii Labeonis quidem testimonium Macrobianum nequaquam pertinet ad explicandum Maii mensis nomen, sed ad mysticam atque allegoricam Maiae deae interpretationem ob eamque causam, ut Wissowa recte demonstravit[3]), ex eodem fonte delibatum est, cui disquisitiones mythologicas acceptas refert. Itaque Schultzii opinio, cui Littius[4]) nuper adsentitur, repudianda est. Quis vero fuit ille Latinus auctor? Qua in re expedienda Schultzius ipse viam qua ad iustum finem pervenimus egregie monstravit Macrobium laudans. Hic enim *aliorum* auctoritate in hac disputatione se tuetur (I 12,19 *alii contendunt).* Inter alios autem Varronem numerandum esse ex concentu inter Censorinum (c. 22,12) Macrobiumque intercedente elucet. Quod vero Macrobius in hac descriptione cum brevi Isidoriana in IV,3, ubi est: „*inde mensem Maium*

---

1) in Philologi vol. VI p. 664.
2) l. c. p. 16.
3) l. c. p. 17.
4) l. c. p. 28 sq.

pro Maia Mercurii matre quam deam vocaverunt", concordat, Suetonius quoque Isidori auctor in aliis ducendus est. Hoc modo autem ad Suetonium Macrobii auctorem descendimus. Cum vero et Macrobii et Lydi verba in utroque commento paene ad litteram quasi inter se similia sint, Lydum hoc quoque loco Suetonii doctrinam secutum esse concedendum est. Ioannes autem, si ipse inspexisset Macrobii auctorem, ex more describendi haec omnia Macrobiana de Maii mensis nomine placita in medio posuisset (deest enim apud Lydum Macrobii explicatio in I 12,17 et 18 extr.).

Atque omnia ea quidem quae de mensium Romanorum a Iunio usque ad Decembrem nominibus apud Macrobium I 12,30—37 extant, ita legimus apud Lydum, ut aperte his quoque locis Macrobiani auctoris i. e. Suetonii vestigia presserit. Et huic opinioni convenit, quod Censorinus in 22,12 sq. et Isidorus l. c. eadem fere breviter proferunt.

Iam vero priusquam quaeramus, num Lydus aliis quoque locis Macrobiani auctoris vestigia presserit, breviter complectamur, quid hac quaestione assecuti simus: primum Macrobii explicationes a Censorini in eis libelli partibus, quas Weberus ad Suetonium deduxerit, et a Solini Isidorique expositionibus non adeo differre, ut eiusdem commenti (i. e. Suetoniani libri *de anno Romanorum*) apographa esse non videantur; deinde Lydum Macrobiumque tam inter se similia narrare, ut si non eundem auctorem proximum, tamen ultimum adhibuerint (i. e. Suetonium). Eadem autem ratio intercedit inter alios quoque Macrobianos Lydianosque locos, quorum tabula haec est:

Macrob. I 13	Lyd.
2. factos quinquaginta et	III,5 (p. 40,5): *πρὸς ιοῦ βα-*
sex dies in duos novos men-	*σιλέως Νουμᾶ καὶ ἕτεροι δύο*
ses pari ratione divisit,	*προσετέθησαν, τιμῆς μὲν*
3. ac de duobus priorem	*ἕνεκα τῶν νοητῶν δ Ἰα-*

Ianuarium nuncupavit, primumque anni esse voluit, tamquam bicipitis dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique principia,

νουάριος, τῶν ὑλικῶν δὲ ὁ Φεβρουάριος.

IV,2 (p. 66,16): *ἐξ οὗ* (i. e. *διπροσώπου θεοῦ*) *τόν τε μῆνα κληθῆναι Ἰανουάριον, καὶ τὴν τοῦ ἔτους ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς γίνεσθαι.*

secundum dicavit Februo deo, qui lustrationum potens creditur.

IV,25 (p. 83,2): *τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ ἀπὸ Φεβρούας θεᾶς οὕτω προσαγορευομένης τὸ ὄνομα γέγονεν· Φεβρούαν δὲ θεὰν ἔφορον καὶ καθαρτικὴν τῶν πραγμάτων οἱ Ῥωμαῖοι παρέλαβον.*

4. lustrari autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit ut iusta dis Manibus solverentur

IV,25 (p. 84,4): *ἐκαθαίροντο δὲ οἱ ναοὶ καὶ τὰ ἱερὰ σκεύη ἐπὶ τούτου τοῦ μηνός· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἰδιωτικῶν πάντες τοῦ καθαρμοῦ ἀντείχοντο. ὅτι δὲ ἐν τῷ Φεβρουαρίῳ αἱ χοαὶ τῶν κατοιχομένων ἐτελοῦντο.*

5. paulo post Numa in honorem imparis numeri, secretum hoc et ante Pythagoram parturiente natura, unum adiecit diem, quem Ianuario dedit, ut tam in anno quam in mensibus singulis praeter unum Februarium impar numerus servaretur.

III,10 (p. 43,17): *ὁ Νουμᾶς πανταχοῦ τὸν περιττὸν ἀλλ᾽ οὐ τὸν ἄρτιον ἀριθμὸν τιμῶν.*

IV,25 (p. 84,8): *ὁ Νουμᾶς αὐτὸν* (i. e. *τὸν Φεβρουάριον*) *ἠλάττωσεν.*

III,10 (p. 48,11): *ὅθεν καὶ πάντων τῶν μηνῶν τὸν περιττὸν ἀριθμὸν ἑλκόντων μόνος ὁ Φεβρουάριος τὸν ἄνισον φαίνεται λαχών.*

6. Ianuarius Aprilis Iunius Sextilis September November December unde-

III,10 (p. 47,18): *ὅτι ὁ Λαβεών φησι τὸν Ἰανουάριον καὶ Φεβρουάριον, Ἀπρίλλιόν τε*

tricenis censebantur diebus, et quintanas Nonas habebant, ac post Idus in omnibus a.d. septimum decimum Kalendas computabatur. 7. Martius vero Maius Quintilis et October dies tricenos singulos possidebant. Nonae in his septimanae erant, similiterque post Idus decem et septem dies in singulis usque ad sequentes Kalendas putabantur, sed solus Februarius viginti et octo retinuit dies, quasi inferis et deminutio et par numerus conveniret.

καὶ Ἰούνιον, Σεξτίλιον Σεπτέμβριον ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν τὸ πάλαι λαχεῖν, Μάρτιον δὲ καὶ Μάϊον, Κυντίλλιόν τε καὶ Ὀκτώβριον ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα, ὅθεν τοὺς ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσι ἡμερῶν ἕλκοντας πεμπταίας ἔχειν τὰς Νώνας ὡς σεληνιακούς, τοὺς δὲ ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα ἑβδομαίας ὡς ἡλιακούς· τὸν δὲ Φεβρουάριον ἐπίτηδες τοὺς Θούσκους ἐλαττῶσαι, ἐπειδὴ ταῖς τῶν καταχθονίων ἑορταῖς φαίνεται πρὸς τοῦ ἱερέως Νουμᾶ παραχωρηθεὶς καὶ οὐ θεμιτὸν ἦν, ἴσα τοῖς οὐρανίοις αὐτὸν τιμᾶσθαι, μειωθῆναι δὲ μᾶλλον τὸν τοῖσδε τὸ πᾶν ἐλαττοῦσι χθονίοις ἀφωρισμένον (cf. supra).

Macrob. I 14

3. post hoc imitatus (sc. Caesar) Aegyptios, solos divinarum rerum omnium conscios ad numerum solis, qui diebus tricenis sexaginta quinque et quadrante cursum conficit, annum dirigere contendit.

6. Iulius ergo Caesar decem

Lyd.

III,5 (p. 40,8): *Καῖσαρ δὲ ὕστερον ὁ Γάϊος ἐκ τῆς τῶν Αἰγυπτίων διδαχῆς διετάξατο τόν τε χρόνον εἶναι τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε τετάρτου ἡμερῶν, καὶ τοὺς μῆνας τοὺς μὲν ἀπὸ τριάκοντα ἔχειν ἡμερῶν, τοὺς δὲ ἀπὸ τριάκοντα ἑνός, τὸν δὲ Φεβρουάριον εἰκοσιοκτώ.*

III,6 (p. 40,21): *αὐτὸν* (sc. *τὸν*

dies observationi veteri super adiecit, ut annum trecenti sexaginta quinque dies, quibus sol lustrat zodiacum, efficerent, et ne quadrans deesset, statuit . . . . id est ante quinque ultimos Februarii mensis dies, idque bissextum censuit nominandum.
10. ita factum est ut, cum omnes hi menses, quibus dies addidit, ante hanc ordinationem habuissent mensis sequentis Kalendas ad septimum decimum revertentes, postea ex augmento additorum dierum hi, qui duos acceperunt, ad nonum decimum, qui vero unum, ad octavum decimum haberent reditum Kalendarum.
11. feriarum tamen cuiusque mensis ordo servatus est.

Καίσαρα) δέ φασι . . . . ἀναβάντα εἰς τὴν Ῥώμην δέκα καὶ μίαν ἐπεμβαλομένην ἡμέραν τοῖς σεληνιακοῖς μησὶν ἐπιδοῦναι . . . . . .

III,7 (p. 41,3): *ὅτι βίσεξτον λέγεται διὰ τὸ δὶς πρὸ ἓξ Καλενδῶν Μαρτίων ἀριθμεῖν . . . .*
III,10 (p. 49,9): *εἰ μὲν πεμπταῖαι ἦσαν αἱ Νῶναι καὶ ὁ μὴν ἡμερῶν λ′, πρὸ ιη′ Καλενδῶν τοῦ ἐπιόντος μηνός, εἰ δὲ πεμπταῖαι μὲν αἱ Νῶναι καὶ ὁ μὴν ἡμερῶν λα′, πρὸ ιθ′ Καλενδῶν ὁμοίως· εἰ δὲ αἱ Νῶναι μὲν ἑβδομαῖαι καὶ ὁ μὴν λα′ ἡμερῶν, τὴν ιε′ πρὸ ιζ′ Καλενδῶν ὁμοίως.*

III,10 (p. 49,20): *ἤρεσε δὲ ὅμως τῷ Καίσαρι καὶ μετὰ τὴν ἡλιακὴν τῶν μηνῶν διατύπωσιν τὰς σεληνιακὰς ἑορτὰς τοῖς μησὶ καταλεῖψαι.*

Macrob. I 15

10. itaque sacrificio a rege et minore pontifice celebrato idem pontifex calata, id est vocata, in Capitolium plebe iuxta curiam Cala-

Lyd.

III,10 (p. 45,2): *Καλάνδας αὐτὰς οἱ παλαιοὶ προσηγόρευσαν ἐξ ἑλληνικῆς σημασίας, ἀπὸ τοῦ καλεῖν τὸν ἀρχιερέα τὴν βουλὴν ἐν τῇ*

bram, quae casae Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem dicto quinquies verbo *καλῶ*, septimanas repetito septies praedicabat.

11. verbum autem *καλῶ* Graecum est, id est voco, et hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit Kalendas vocari. hinc et ipsi curiae, ad quam vocabantur, Calabrae nomen datum est. 12. ideo autem minor pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando prodebat, quod post novam lunam oportebat Nonarum die . . . . .

13. unde quidam hinc Nonas aestimant dictas, quasi novae initium observationis, vel quod ab eo die semper ad Idus novem dies putentur . . . . .

15. iure hic dies (i. e. Idus) Iovis fiducia vocatur, cuius lux non finitur cum solis occasu, sed splendorem diei et noctem continuat inlustrante luna, quod semper in plenilunio, id est medio mense, fieri solet.

λεγομένῃ Καλαβρᾷ βασιλικῇ, καὶ σημαίνειν, εἴτε χρὴ κατὰ τὴν πεμπταῖαν, εἴτε κατὰ τὴν διχότομον τῆς σελήνης ἐπιτελέσαι τὴν τῶν Νωνῶν ἑορτήν, ἐξ ἧς τὴν μεσομηνίαν ἐπετήρουν.

III,10 (p. 46,7): *πρώτη τοίνυν ἡ νεομηνία, ἐξ ἧς ἔθος Ῥωμαίοις προκαλεῖν τὴν δευτέραν ἑορτήν, τουτέστι τὰς Νώνας.*

III,10 (p. 46,13): *αὕτη ἡ προσθήκη παρὰ Ῥωμαίοις Νῶναι καλεῖται ἀντὶ τοῦ ἐννέα.*

diem igitur, qui vel nocturnis caret tenebris, Iovis fiduciam Tusco nomine vocaverunt, unde et omnes Idus Iovis ferias observandas sanxit antiquitas.	III,10 (p. 47,10): *τὰς Εἰδούς, τουτέστι τὴν μεσομηνίαν, Διὶ ἤγουν Ἡλίῳ ἀνέφερον, πληνιλούνιον τὰς Εἰδοὺς καλοῦντες οἱονεὶ πληροσέληνον.*
16. nonnullis placet Idus dictas vocabulo Graeco, *οἷον ἀπὸ τοῦ εἴδους*, quod eo die plenam speciem luna demonstret.	III,10 (p. 47,12): *τὸ δὲ τῶν Εἰδῶν ὄνομα παρὰ μὲν τοῖς πολιτικοῖς ἐκ τοῦ εἴδους τῆς Σελήνης,*
sunt qui aestiment Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci, et omnibus Idibus Iovi immolatur a flamine.	*παρὰ δὲ τοῖς ἱερεῦσιν ἀπὸ θυσίας τινὸς τρόπου, ἥτις εἴδουλις ὠνομάζετο, εὑρίσκομεν εἰσενηνεγμένον.*
18. ut autem Idus omnes Iovi, ita omnes Kalendas Iunoni tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas.	III,10 (p. 47,6): *ἰστέον δέ, ὅτι αἱ Καλένδαι Ἥρας ἑορτὴ ἐτύγχανον, τουτέστι Σελήνης· . . . τὰς δὲ Εἰδούς, ... Διὶ ἤγουν Ἡλίῳ ἀνέφερον.*
20. lunam ac Iunonem eandem putantes	III,10 (p. 47,8): *Ἥραν τὴν Σελήνην ἐνόμιζον εἶναι.*

Quas tabulas quicumque inter se comparaverit, eum, ut opinor, non fugiet et Macrobium Lydumque in satis multis rebus inter se adeo conspirare, ut aperte Lydus in hac placitorum farragine permulta Suetonianae doctrinae grana nobis servaverit (cf. inprimis Lyd. III,10 cum Macrobianis locis respondentibus in I, 15), et aliis locis inter se ita discrepare, ut utrumque nequaquam ex uno eodemque auctore simul pendere intellegamus. Hac autem de re infra agamus, sed potius quaeramus, num aliis paragraphis

Lydus Suetonii doctrinam secutus sit. Libri secundi initio Lydus de die naturali locutus ad dies explicandos transit, quos diversae civitates sibi quaeque statuebant. Quarum in indice hae nominantur:

1. Babylonii (p. 18,13): ab ortu solis ad ipsum eius occasum, noctis nullam omnino mentionem facientes;
2. Aegyptii [et Hebraei][1] (p. 19,3): a vespero incipientes usque ad sequentem vesperum;
3. Umbri (p. 19,16): inde a meridie ad meridiem;
4. Athenienses (p. 20,4): a solis occasu ad solem occidentem;
5. Romani (p. 20,5):
   a) primo Babylonios secuti (p. 20,6): ab ortu solis ad occasum;
   b) postea (p. 20,9): a media nocte (i. e. ab septimae horae initio) ad mediam proximam.

Huius autem indicis originem si quaerere studemus, aliorum scriptorum, veluti Varronis, Macrobii, Censorini, Plinii, Servii, Isidori tabulas omnes inter se conferamus[2]) et a Varrone incipiamus. Eius enim testimonium affert Gellius in Noct. Att. III 2,2 sq., quem verbotenus desumptum esse a Macrobio in Sat. lib. I 3,2 sq. primo obtutu cognoscitur[3]), atque nominat:

1. Athenienses a solis occasu ad solem iterum occidentem;
2. Babylonii a sole exorto ad exortum eiusdem;
3. Umbri a meridie ad insequentem meridiem;
4. populus Romanus a media nocte ad mediam proximam.

---

1) Hebraeorum nomen in hac disquisitione neglegi potest; nam multi Lydiani codices (X Y P S) id omiserunt.

2) de his populorum tabulis nuperrime egit Willemsen l. c. p. 16 sq.

3) cf. Iani adnotationem ad hunc Macrobii locum; Willemsen l. c. p. 16 not 2.

Censorinus autem in cap. 23,3 hosce in testimonium vocat:

1. Babylonii a solis exortu ad exortum eiusdem;
2. in Umbria plerique a meridie ad meridiem;
3. Athenienses ab occasu solis ad occasum;
4. Romani a media nocte ad mediam.

Has explicationes non modo rebus populorumque nominibus, sed verbis quoque cum Varronianis consonare neminem fugere puto; itaque non dubium est, quin Censorini index e Varrone fluxerit. Qua in re quod omnes fere viri docti inter se consentiunt[1]), valde gaudeo. Praeter Censorinum autem Plinium quoque Varronis indicem in usum convertisse Muenzerus[2]) docuit; ille enim in Nat. Hist. II 188 hos populos advocat:

1. Babylonii inter duos solis exortus;
2. Athenienses inter duos occasus;
3. Umbri a meridie ad meridiem;
4. a) volgus omne: a luce ad tenebras;
   b) sacerdotes Romani et qui diem finiere civilem: a media nocte in mediam;
5. item Aegyptii et Hipparchus a media nocte in mediam.

Plinius igitur in hac populorum tabula praeter alios quos Censorinus habet Aegyptios quoque e Varrone arcessivit. Lydum autem in universum cum Plinio consentientem propterea, quod in Aegyptiorum die definiendo ab eo discrepat, Varronis indice non usum esse patet. Attamen id inter omnes constat Varronis doctrinam de hac re Lydi auctori fuisse fundamento. Atque hanc quidem Plinii sententiam de Aegyptiorum die Servius,

---

[1]) Muenzero, Beiträge zur Quellenkritik der Naturgesch. des Plinius p. 257 adsentiuntur Weber et Hahn.

[2]) l. c. p. 257.

ille commentator Vergilianus, ad Aen. V 738 impugnavit, ubi has civitates affert:

1. Aegyptii ab occasu solis;
2. Persae ab ortu solis;
3. Etrusci[1]) et Athenienses a sexta hora diei;
4. Romani a media nocte.

Hunc autem Servii indicem, quem Isidorus in orig. V 30,3 sq. exscripsit, a Lydo non adhibitum esse e comparatione elucet. Quod vero Servius et Lydus de Aegyptiorum die idem docent Plinio oblocuti, apertum est post Plinii aetatem auctorem fuisse qui aliter ac Varro eorum diem definiret. Ille autem auctor fuit Suetonius, cuius doctrinam Isidorus de rer. nat. I,2 nobis praebet: „*Aegyptii ex initio noctis sequentis diei originem trahunt*". Quae cum Lydus non multo aliter explicet, mihi dubium non videtur, quin in hoc indice Ioannes a Suetonio pendeat.

Iam vero quoniam in Suetonianae doctrinae vestigiis indagandis satis magnam contrivimus operam, nova oritur quaestio, quisnam auctor Lydo haec omnia placita subministraverit. Littius enim, quem eo, quod Verrium fuisse Macrobii auctorem ultimum doceret, Wissowae opinionem de Suetonio Macrobii auctore minime diluisse supra ostendimus, hunc concentum inter Macrobium Lydumque intercedentem ita expedire conatus est, ut utrumque ex uno eodemque fonte proximo hausisse statueret. Ille autem, ut Cornelium Labeonem fuisse communem auctorem demonstret[2]), eos Macrobii locos affert, ubi eius nomen invenitur (I 12,20; I 12,21). Cum vero illorum locorum condicio ea sit, ut Cornelii Labeonis mysticam deorum

---

[1]) in hoc nomine afferendo fluctuant codices Serviani inter Etruscos, rusticos, Umbros. Equidem praefero Etruscorum nomen, respiciens Servium ad Aen. VI 535, ubi est: „secundum Tuscos diei ortus est a sexta diei hora".

[2]) l. c. p. 28 sq.

dearumque interpretationem contineant, ad fontem de anno Romanorum doctrinae investigandum, ut saepius diximus, adhiberi non possunt. Quod vero ille eos quoque Lydianos locos, quibus *Λαβεών* nominatur [III,10 (p. 47,18); IV,25 (p. 83,8)], advocat, sola ex ea qua inducitur ratione Lydum ipsum nihil ei debere concludi potest. Nam haec ipsa Labeonis testimonia tam arte coniuncta sunt cum Suetonii placitis (cf. inprimis III,10 cum Macrob. I 13), ut nullo negotio ex toto sententiarum conexu discerni nequeant[1]); quare suspicio est ea non tribuenda esse Cornelio Labeoni, sed eiusdem nominis homini docto (fortasse Antistio Labeoni)[2]), quippe cuius praenomen Lydus omittat. Denique vero Littii argumentatio propterea non stat, quod tantae inveniuntur inter Lydum Macrobiumque discrepantiae, ut utrumque commentum nequaquam ex uno eodemque fonte proximo fluxisse statuamus. Aliquoties iam in praecedentibus adnotandi occasionem non dimisimus, ac satis superque illud elucet ex hoc exemplo. Agitur enim de Macrobii capite I 13 comparando cum Lydi locis respondentibus. Quo in capite quae fuerit Numae ratio anni ordinandi Macrobius disputat profectus ab huius anni dierum numero[3]), quem etsi Lydus omittit, tamen computatione invenimus. In III,6 (p. 40,21) Ioannes Caesarem

---

[1]) cf. quod Wissowa de hac re scripsit in „Realencyclopädie" IV p. 1354.

[2]) cf. Wissowa in diss. p. 26 sq.; Kahl in Philologi vol. suppl. V p. 728 (p. 803 not. 191); p. 732.

[3]) in hac explicatione Macrobium conspirare videmus cum Censorino 20,4 sq., Solino I, 37 sq., nisi quod ille Numam prius quidem quinquaginta, postea unum diem addidisse contendit. Haec autem dissimilitudo pro nihilo putanda est neque suadet, ut eos e diversis auctoribus hausisse sumamus. Hahnio autem (l. c. p. 23), qui magnam vim huic dissensui tribuit, adsentiri nequeo; nam ille, ut ostendat, quantopere discedat Macrobii expositio in I 13 a Censoriniana, eos advocat Censorini locos (cap. 18,2 sq.), quos nec Wissowa nec Weber ad Suetonium deducunt.

lunaribus mensibus undecim dies [Macrob. in I 14,6 decem] adiecisse explicat; ibidem autem III,5 (p. 40,10) Iulium annum ita instituisse discimus, ut sol tricenis sexaginta quinque diebus et quadrante cursum conficeret. Inde autem sequitur, ut ante Caesarem annus trecentos quinquaginta quattuor dies amplexus sit.

Licet uterque in hac re consonet, tamen in his discrepant eorum relationes. Numae enim annus, ut e Macrobii verbis in I 13,2 elucet, amplectitur: $(6 \times 29) + (4 \times 31) + (2 \times 28) = 354$ dies. Inde autem adparet Ianuarium et Februarium, menses a Numa additos, duodetricenos dies amplexos esse; postea autem a Numa in honorem imparis numeri unum diem, quem ille Ianuario dedisset, adiectum esse Macrobius docet in I 13,5: itaque habet eius annus nunc: $(7 \times 29) + (4 \times 31) + (1 \times 28) = 355$ dies. Multo aliter autem Lydus id explicat. Ille enim in III,10 (p. 47,18) Ianuarium et Februarium fuisse menses undetricenorum dierum testatur; hoc loco enumerat eos menses, qui undetricenos et tricenos singulos dies habent, qua in enumeratione November et December omittuntur. Eos autem undetricenis diebus censos esse vel inde adparet, quod Lydus his verbis utitur in III,10 (p. 49,18): *ἔχουσιν ἑβδομαίας μὲν τὰς Νώνας Μάρτιος Μάϊος Ἰούλιος Ὀκτώβριος, πεμπταίας δὲ οἱ λοιποὶ πάντες* [cf. Macrob. I 12,3], porroque l. c. (p. 48,3): *τοὺς ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσι ἡμερῶν ἕλκοντας πεμπταίας ἔχειν τὰς Νώνας.* Hic igitur annus habet: $(6 \times 29) + (4 \times 31) + (2 \times 29) = 356$ dies. Numam autem, quem plurimum tribuisse ubique impari numero Lydus in III,10 (p. 43,17) simili modo ac Macrobius in I 13,5 refert[1]), *Februarium mensem imminuisse* Ioannes tradit in III,10 (p. 48,6) et IV,25 (p. 84,8). Itaque Lydus alia via ac Macrobius dierum numerum anni Numae assecutus est.

---

[1]) de hac Numae superstitione videas Censor. 20,4; Solin. I, 40; Serv. ad ecl. 8,75; Plut. quaest. Rom. 10,2.

Quam explicationem Lydianam, utpote quae a Macrobiana admodum discedat, non sumptam esse ex Macrobii auctore apertum est.

Sed non solum discrepantiae intercedunt inter Macrobium et Lydum, sed etiam ampliores nonnunquam praebet narrationes Lydi auctor. Id potissimum valet in explicando Februarii nomine. Macrobius enim in I 13,3 Februarii appellationem a deo Februo, Lydus autem in IV,25 (p. 83,3) a dea Februa derivat; qua in re Februum deum confusum esse cum Iunone Februali recte ostendit Littius[1]). Lydo autem illam a Februo deo derivationem non ignotam fuisse ex Anysii testimonio, quod ille affert (p. 83,5), et ex his verbis (p. 83,12): *Φέβρον τὸν Πλούτωνα* elucet. Atque de lustratione quidem Lydus (p. 84,4—7) uberius loquitur quam Macrobius (I 13,5).

Quibus ex omnibus discrepantiis nihil aliud concludi potest, nisi quod Lydus Macrobiusque, praesertim quos res ab auctoribus suis relatas adcurate reprompsisse constet[2]), neutiquam ex uno eodemque fonte proximo simul hauserunt, sed potius ad eundem auctorem ultimum (i. e. Suetonium) recedunt. Lydum autem doctrinam Macrobiani auctoris ab aliquo serioris temporis scriptore modo decurtatam modo amplificatam accepisse vel inde adparet, quod omnia fere mensium nominum veriloquia quae Macrobius profert ille quoque habet et in testimoniis ad anni historiam pertinentibus eorum scriptorum auctoritate nititur, quorum[3]) notitia praeter Cingium *ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν* [Lyd. IV,144 (p. 164,17) et Macrob. I 12,12:

---

[1]) l. c. p. 25 not. 1.

[2]) de Macrobio cf. Wissowa in diss. p. 13 sq.; de Lydo supra p. 36 sq.

[3]) Lydus laudat:

I,21 (p. 11,14) *Φλέγων ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν*
IV,4 (p. 68,16) *Ἐλπιδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν*
IV,87 (p. 136,7) *Μανέθων ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν.*

Cingius in eo libro, quem de Fastis reliquit][1]) ei, qui Suetonianam doctrinam praebeant, non glorientur. Quod vero Ioannes in IV,25, ubi eum de Februarii nomine locutum Suetonii placitorum vestigia pressisse e concentu inter Lydum et Censorinum intercedente adparet [cf. Lyd. IV,25 (p. 84,4—7; p. 83,11) cum Censor. 22,14; Lyd. ib. p. 84,11 cum Cens. 22,15], Ἀνύσιον ἐν τῷ περὶ μηνῶν (p. 83,5) laudat, non omni caret probabilitate (nam iustis argumentis demonstrari non potest) a Lydo eius librum adhibitum esse ad has commentationis partes conscribendas. Certum autem est Lydum similis indolis opus, in quo Suetonianae doctrinae frustula comportata repperit, in usum convertisse.

Nemini autem, ut opinor, dubium erit, quin Lydus ex hoc libro diversa mensium nomina apud Athenienses, Graecos, Hebraeos, Aegyptios, Romanos in III,22 (p. 59,21 sq.) hauserit; in hac enim re eum cum Polemio Silvio[2]) conspirantem videmus.

[1]) huius Cingiani libri titulum non falsum esse inde adparet, quod hoc testimonium et apud Macrobium et apud Lydum ad Suetonium tamquam auctorum auctorem recedit. Itaque reiciendum esse puto vitium, quo I. Fr. Schultze (l. c. p. 28 not. 24; p. 34) Lydum aspersit (cf. supra p. 46.).

[2]) in CIL I[2] p. 257 sq.

Commentationis argumentum.

Corrigenda.

Legas quaeso p. 3,2: patet, non *patet;* p. 16,25: opinioni; p. 25,5: *αἰτίων*; p. 29,9: II,12; p. 32,6: *τῷ*; p. 36,26; *ἐναντίας*; p. 54,22: sunt.

VITA.

Natus sum Fridericus Bluhme in vico Saxoborussico, cui nomen est Cabelitz, a. d. IX Kal. Sept. a. 1881 patre Friderico, matre Maria e gente Bittkau, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis Stendaliae, ubi altus sum omnem pueritiam, imbutus vere a. 1895 in eam quam vocant quartam classem gymnasii Stendaliensis receptus sum, cuius scholas per VII annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus verno tempore a. 1902 civis adscriptus sum universitati Marburgensi, ubi sex menses commoratus studiis philologicis classicis et germanicis operam dedi; eiusdem anni autumno Berolinum me contuli Inde a vere a. 1903 in hac alma litterarum sede studia mea continuavi, ubi per tres annos scholas audivi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Marburgenses: Birt, Jenner, Knopf, Maass, Schröder, Thumb.

Berolinenses: Helm, Lasson, R. Lehmann, E. Schmidt, Strack, Vahlen, Weiss, de Wilamowitz-Moellendorff.

Halenses: Bechtel, Berger, Blass, Bremer, Consbruch, Dittenberger, Fries, Haupt, Maurenbrecher, Riehl, Robert, Saran, Schultze, Schwarz, Strauch, Uphues, Vaihinger, Wissowa.

Proseminarii philologici exercitationibus postquam per duo semestria interfui, seminarii philologici regii Halensis sodalis fui ordinarius per bis senos menses moderantibus Blass, Dittenberger, Wissowa. Praeterea ad germanicas exercitationes liberaliter me admiserunt Berger, Saran; ad paedagogicas Fries; ad philosophicas Uphues.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis, inprimis Georgio Wissowa, benevolentissimo studiorum meorum fautori, quo auctore et adiutore hanc dissertationem composui, et Guilelmo Dittenberger, qui onus de ea referendi suscepit, gratias ago quam maximas gratiamque semper habebo.